DISSERTATIO IVRIDICA

DE

IVRISDICTIONE

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPE ET DOMINO
DOMINO

GEORGIO II.

MAGNAE BRITANN. FRANC. ET HIBERN. REGE
DEFENSORE FIDEI
BRVNSVICENSIVM AC LVNEBVRGENSIVM DVCE
S. R. I. ELECTORE ET ARCHITHESAVRARIO

IN GEORGIA AVGVSTA

AVCTORITATE
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
OCCASIONE LIB. II. TIT. I. DIGESTORVM
A PERILL. BOEHMERO EDITORVM

PRAESIDE
VIRO CONSVLTISSIMO AMPLISSIMOQVE

D. IOANNE ANDREA HANNESEN

CIVITATIS GOETTINGENSIS PRO-SYNDICO
HORA LOCOQVE CONSVETO
DIE XXI MARTII CIↃ IↃCCL



DEFENDET
AVCTOR ET RESPONDENS
BALTH. SEB. CHRIST. FERDIN. WIERING.
BOERRYA-HANNOVERANVS.

TYPIS IOANN. FRID. HAGERI.

ILLVSTRISSIMIS ATQVE
EXCELLENTISSIMIS
DOMINIS
AVGVSTISSIMO AC POTENTISSIMO
MAGNAE BRITANNIAE REGI
DVCI ELECTORI BRVNSVICO LVNEBVRGICO
A CONSILIIS SANCTIORIBVS
STATVS ADMINISTRIS
DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS

DOMINO
GERLACO ADOLPHO
L. B. DE MVNCHHAVSEN

DYNASTAE IN STRAVSFVRTH
SVPREMO PER DVCATVM CELLENSEM
ADVOCATO MAGNO
NEC NON

DOMINO
ERNESTO
L. B. DE STEINBERG

DYNASTAE IN BODENBVRG, SALTZDETFVRTH RELIQ.
HEROIBVS TOGATIS

MAECENATIBVS AC LITERARVM STATORIBVS SVMMIS

INCOLVMITATEM PERPETVAM

LONGAEVAM AETATEM

GLORIAE IMMORTALIS INCREMENTVM

PIA MENTE ADPRECATVR

PRO BENEFICIIS IN STVDIORVM CVRSV

GRATIOSISSIME COLLATIS

DEVOTISSIMO ANIMO GRATIAS AGIT

HANC DENIQVE DISSERTATIONEM

TENVE INDVSTRIAE SPECIMEN

SVBMISSE CONSECRATVM ESSE CVPIT

TANTORVM NOMINVM

Cliens humillimus

BALTH. SEB. CHRIST. FERDIN. WIERING

Beerrja-Hannen.



Q. F. F. Q. S.

DE

IVRISDICTIONE.



§. I.

Poteſtatem magiſtratus, pro ratione officii a ſe inuicem diuerſam eſſe, ſatis docent poſteriores, qui libro primo Digeſtorum habentur, tituli; generaliter autem in iudice quatuor requiſita, nempe iurisdictio, competentia, ſinceritas & habilitas deſiderari ſolent. Longum ſane foret de omnibus & ſingulis noſtram aperire mentem, quam ob cauſam, pro inſtituti ratione, de iurisdictione tantum, quae primarium obtinet locum, dicendi oportuna erit occaſio. Vt vero debito ordine procedamus, ante omnia ſciendum eſt, in prioribus §phis ea, quae in hoc

A argu-

argumento sunt iuris publici Romani, & in sequentibus §phis vsque ad opusculi finem, quae ad iurisdictionem hodiernam spectant, quasi in compendio proponi.

§. II.

Iurisdictionis vocabulum sumitur vel in sensu *latiori* vel *strictiori*. Hoc sensu iurisdictio tantum caussas ciuiles contentiosas sub se comprehendit, inter partes litigantes enim proprie *ius dicitur*, vnde *iurisdictio* etiam nomen habet. In latiori autem significatu omnem notionem, iure Magistratus alicui competentem, complectitur, adeoque sub iurisdictione tum actus voluntariae tum contentiosae notionis, obseruante VLPIANO (a), comprehenduntur, qui etiam ius dandi tutores huc refert, quod alias a iurisdictione proprie sic dicta longe alienum est. Vno verbo, iurisdictio, generaliter sumta, tam late patet, quam magistratus officium.

Vera haec est iurisdictionis explicatio, nec sub iurisdictione venit criminalis notio, nisi, secundum seculi nostri morem, in sensu valde improprio, hanc vocem intelligas; nam iurisdictio vnice ea, quae Magistratibus Romanis iure officii competebant, comprehendebat, & criminalia ad populum, sub Reipublicae initium, priuatiue spectabant, quaeque postea extra ordinem nonnullis Magistratibus committebantur.

§. III.

Praeterea iurisdictio & imperium magnopere differunt secundum iuris Romani principia; siquidem imperium in vi & coactione, magistratus iure alicui competente, consistit, licet imperium semper cum iurisdictione, ne corpus absque anima esset, coniungeretur.

§. IV.

(a) In L. 1. ff. de iurisdict.

§. IV.

Quae quum ita sint, facile patet, minus adcurate definiri iurisdictionem, quod sit: *publica pro imperio statuendi de caussis contentiosis ciuilibus, iure magistratus competens, potestas*, simulac enim aliquid imperii de iurisdictione praedicatur, mire rotunda quadratis miscentur.

Melius itaque CVIACIVS (b) ait: *iurisdictio est notio iure magistratus competens*, vel vti BACHOVIVS (c) scribit: *iurisdictio est publica iurisdicendi potestas*. Immo & prior definitio tolerari potest, si modo verba: *pro imperio* deleantur. Neque ideo CVIACII definitio latior suo definito videtur quod & iudices pedanei apud Romanos, qui longe à Magistratibus distabant, habuerint in caussis controuersis notionem, nam aliud est, notionem habere *iure Magistratus*, aliud vero notionem instituere *mandante Magistratu*, illud, non hoc iurisdictionis proprium est, ergo iudex pedaneus notionem quidem habet (d), nec non arbiter (e), sed non iure magistratus, adeoque neutri iurisdictio competit.

§. V.

Omnis iurisdictio siue stricte, siue late sumta, ab eo prouenit, qui clauum in Republica tenet, vnde etiam iurisdictiones, vti ZIEGLERVS (f) scite ait, apud Principem, tanquam apud fontem esse dicuntur, ita vt ab eo fluant & refluant sicut flumina ad mare. Collineat huc DIOCLETIANI & MAXI-

(b) Paratit. π. de iurisdict.

(c) Num. 2. eod. tit.

(d) L. 3. π. de iurisdict. L. 46. de iudic. L. vlt. de offic. praef. L. 5. de re iudic.

(e) L. 11. §. 3. L. 17. §. 3. L. 19. pr. π. de recept.

(f) De iure Maiest. l. c. 29. §. 11.

MAXIMIANI (g) rescriptum: *Priuatorum consensus iudicem non facit eum, qui nulli praeest iudicio: nec quod is statuit, rei iudicatae continet auctoritatem*, quia iurisdictio nemini, nisi publica auctoritate concessa sit, competere potest, immo quilibet priuatus, qui pro potestate Magistratus quid sciens dolo malo gesserit, maiestatis crimine tenetur (h). *Proprio* igitur *iure*, quando hoc *independentiam* significat, adscribitur iurisdictio summo Imperanti; & itidem *proprio iure* Magistratus iurisdictionem, à Principe sibi concessam, exercent, si proprium ius nihil aliud denotat, quam officium, quod gerunt Magistratus, quo sensu iurisdictió, quae *proprio iure* Magistratibus competit, opponitur vicariae iurisdictioni, quae iudicibus delegatis seu commissariis est demandata, quamque non suo, sed alieno nomine exercere dicuntur (i).

§. VI.

Ex iis, quae iamiam dicta sunt, facile patet, *iudicem* & *arbitrum* magnopere differre, ille enim proprio iure i. e. vi officii publici, iurisdictione pollet, hic vero non iurisdictionem publicam, adeoque non vi Magistratus, sed tantum ex partium voluntate auctoritatem iudicialem interponit, ita vt inter compromittentes notionem instituat, quamuis sententia, quae proprie *laudum* dicitur, vim rei iudicatae sortiri possit.

Porro quum Magistratus non semper vt persona publica, sed interdum quoque vt priuatus agat, probe distinguendum est, vtrum actus publica auctoritate sint peracti, nec ne? illo casu iudiciali robore firmantur, id quod posteriori casu dici nequit, si

(g) L. 3. C. de iurisdict.

(h) L. 3. in fin. D. ad Leg. iul. Maiest.

(i) Conf. STRYK. de obseq. iud. inferior. c. 1. STRVVIVS exercit. 4. th. 50.

siquidem Magistratus etiam vt priuatus agere potest, veluti testis esse in testamento extraiudiciali, celebrare emtionem venditionem, aliosque contractus inire.

Idem quoque dicendum, si iudex de facto procedit, quia tunc procedit vt priuatus, eique impune resisti potest; quod si vero iudex de facto per abusum suae potestatis procedit, vocatur hoc *ein Amtstrotz*, de quo plenius agit STRYKIUS (k).

§. VII.

Tandem quum omnis iurisdictio a Principe, tanquam ex fonte, deriuetur, adeoque iurisdictio in eiusmodi iure, quod summi imperii inuoluit particulam, omnino consistat, & tanquam regale a priuato, nisi ex Principis concessione, possideri nequeat, consequens est, vt iurisdictionis possessio esse debeat titulata; quam ob caussam, si Princeps priuato quaestionem de iurisdictione mouet, hic titulum necessario edere tenetur, quia hoc casu praesumtio est contra possessorem; sufficit tamen summaria demonstratio pro retinenda possessione, reiectis altioris indaginis exceptionibus, immo satis reo consultum est in possessorio, si testes taliter qualiter de praescriptione immemoriali deponant, quia plenior probatio ad petitorium reiicitur.

Sed haec omnia longe aliter sese habent, si priuati inter se de iurisdictione litem mouent, v. g. si nobilis contra nobilem eiusmodi possessorium instituit, tunc enim sola possessionis probatio sufficit pro obtinendo, vt loquuntur, *mandato manutenentiae*. Rem omnem optime enarrat STRYKIUS (l), quique responsum facultatis Hallensis adducit, quod euincit, titulum posses-

(k) *In diss. de facto iudicis de facto.*
(l) in V. M. De iurisdict. §. 27. sqq.

possessionis etiam in possessorio summariissimo edendum esse, si lis de iurisdictione cum Principe intercedit.

(*) Hanc conclusionem Dn. ICKSTADT, in diss. *de possessione vel quasi regalium, & in specie regalis venandi subditorum seu Landsassium aduersus territorii dominum parum aut nihil releuante* etiam ad ius venandi extendit; sed a iurisdictione ad ius venandi consequentiam non valere facile dixeris, praesertim si argumenta C. L. BILDERBECKII *in der gründlichen* Deduction *gegen die vermeintliche* Regalität *der Jagten*, & inprimis rationes, quas vir immortalis famae Ill. STRVBEN in vindiciis iuris venandi c. II. adfert, recte pensitaueris. Addatur quoque conclusum Summi Tribunalis Cellensis, quod idem in collectione sententiarum p. 40. proposuit.

§. VIII.

Est iurisdictio: *Notio iure Magistratus competens* (§. II.); ex ipsa ergo definitione fluit, iurisdictionem magistratibus vi officii ordinarii, cui cohaerebat, competere. In hoc iure ordinario omnes magistratus conueniebant, neque huc ea, quae extra ordinem alicui erant concessa, referri poterant; immo hoc sensu Magistratus *suo iure* exercere dicebantur iurisdictionem, quorsum collineat ICtus IVLIANVS (m) inter alia scribens: *More maiorum ita comparatum est, vt is demum iurisdictionem mandare possit, qui eam* suo iure, *non alieno beneficio haberet.*

Proprium itaque Magistratui, de iure romano, erat, iurisdictionem exercere, quam ob rem duumuiri & decuriones Magistratus esse negabantur (n), quia iurisdictioni non praeerant, sed tantum politiae ciuitatensi.

Porro

(m) In L. 5. ff. de iurisdict.
(n) Conf. tit. ff. de Decurionibus.

Porro apud Romanos vox: *iurisdictio* comprehendebat *dependentiam*, & ideo sub hac denominatione venire non poterat summi Imperantis potestas iurisdictionalis, potius Principis cura, quam in iure dicundo adhibebat, *cognitio* dicebatur, & decreta, praeuia caussae cognitione, lata, *leges* erant publicae; licet enim veteres hac de re dubitauerint, attamen IVSTINIANVS insignis ille nomotheta, vanam hanc subtilitatem risit, eamque corrigendam esse censuit, diserte (o) sanciens: *Si imperialis Maiestas caussam cognitionaliter examinauerit, & partibus cominus constitutis sententiam dixerit: omnes omnino iudices, qui sub nostro imperio sunt, sciant, hanc esse legem non solum illi caussae, pro qua producta est, sed & omnibus similibus.*

§. IX.

Nec minus ex adducta iurisdictionis definitione prono deriuatur alueo, omnia ista, quae magistratui, qua tali, i. e. vi officii ordinarii, non competerent, sed specialiter illis concessa essent, sub iurisdictionis nomine haud comprehendi. Pertinet huc, iure romano, *tutoris datio* (p), vti VLPIANVS disertis ait verbis: *tutoris datio neque imperii est, neque iurisdictionis, sed ei solum competit, cui nominatim hoc dedit vel lex, vel SCtum, vel Princeps.* Huic adnumerabatur olim *decretum alienandi bona minorum*, quam ob caussam idem ICtus (q) diserte negat, mandatam iurisdictionem transferre posse hanc quaestionem. Immo, vt reliqua sileam exempla, *omnes legis actiones* sub hoc censu veniebant, quum enim non omnes magistratus, qui tamen iurisdictione pollerent, sed ii tantum, apud

(o) In L. 12. C. de L. L.

(p) L. 6. §. 2. de tutel.

(q) In L. 2. §. 1. de offic. eius cui mand. est iurisdictio.

apud quos erat legis actio, explicare potuerint legis actiones, facile patet, hos actus solemnes sub iurisdictione haud comprehendi.

§. X.

Cognitionem de caussis criminalibus, siue ius vitae & necis, ipse populus romanus, tanquam primarium summae maiestatis articulum, sibi reseruauerat, nec ea ad magistratus officium ordinarium spectabat, vnde sub iurisdictionis vocabulo haud comprehendebatur.

Posteaquam vero orbis romanus, armorum fortitudine, multis prouinciis augeretur, sane Quirites in comitiis calatis de omnibus & singulis delictis quaestionem mouere non poterant, sed, prout casus incidebant, à populo inquisitores nominabantur, dicti *quaesitores*, quibus extra ordinem criminalium cognitio commissa erat, quae ad ordinarium Magistratus officium minime spectabat (r).

Coeterum quilibet magistratus suum habebat territorium, extra quod iurisdictionem exercere non poterat, quam ob rem scite ait ICtus PAVLVS (s): *Extra territorium ius dicenti impune non paretur. Idem est, & si supra iurisdictionem suam velit ius dicere.*

§. XI.

Differt quidem iurisdictio ab imperio, sed illa, nisi accedat imperium, quemadmodum corpus absque anima, consistere nequit. Imperium sub se comprehendere nouimus *a*) *potestatem statuendi*, & quidem secundum ius praescriptum, in quo

(r) Confer. Lib. XLVII. Dig. Tit. 1.

(s) In L. fin. D. de iurisd.

quo differt a potestate Principis, quam exercere solet in sanctiori consilio, *b*) *ius praecipiendi* & *c*) *exsequendi*, quod & iurisdictionis vltimum vocari solet.

Haec omnia in nuda notione, iudicibus pedaneis olim commissa, haud inueniebantur, quippe quibus tantum ex delegatione Praetoris, non vero Magistratus iure, (§. IV.) competebat nuda notio, consistens in cognitione de controuersia & sententiae latione sine mixto imperio. Iurisdictio igitur est notio vi magistratus alicui competens, cui opponitur nuda iudicis pedanei notio, vti salse distinguit ICtus VLPIANVS (t), inter alia scribens: *Ait Praetor*, cuius de ea re iurisdictio est: melius scripsisset, cuius de ea re notio est: *etenim* notionis *nomen etiam ad eos pertineret*, qui iurisdictionem non habent, sed habent de quauis alia caussa notionem.

§. XII.

Consistit itaque notio nuda in commissa cognitione de controuersia obmota & sententiae latione sine mixto imperio. Potestas sententiam ferendi si deficit, ne quidem cognitio nomen notionis meretur, veluti si tantum per amicabilem compositionem inter partes controuersia exorta decidenda sit, qualem potestatem Superintendentes in quibusdam locis habent, vti ZIEGLERVS (u) haec ordinationis Saxonicae verba adducens ostendit: *So ordnen und wollen wir demnach, wenn sich zwischen unsern Amtleuthen, einen oder mehr unserer Unterthanen, gegen einen Pfarrer, Prediger*, Diacon *oder* Subdiacon, *Speen oder Wiederwillen zutrüge, daß anfanglich die Sache und Partheyen durch den* Superintendenten *desselbigen Orts, neben dem*

(t) In L. 5. pr. de re iudic.

(u) de Superintendente c. 16. §. 9.

dem Amtmann, Gerichtsherrn oder Collatorn, *wofern derselbe nicht Part, oder sonst der Sachen verwandt ist, oder auch zweyen Schöppen oder Kirch-Vätern gütlich verhört, auch unterstanden werde, sie mit wißenden und billigen Dingen zu vereinigen. Da aber über solche Unterhandlung und angewendten Fleiß sie einander rechtlicher Forderung nicht erlaßen wollen, soll der* Superintendens *mit dem Amtmann, Erb-und Gerichts-Herrn an unser* Consistorium *gelangen laßen, was sie zwischen ihnen gehandelt, wie alle Sachen beschaffen, und an wem die Gütigkeit erwunden, daselbsten sie durch unsere* Consistorialen, *der Parteyen Zweytracht und Sachen, so viel müglich, gütlich und ohne Weitläuftigkeit, auch da die Güte nicht statt finde, durch Recht, ohne langen* Procefs, *summarischer Weise, entschieden werden sollen.*

Iisdem fere verbis eadem disposita sunt *in den Churbraunschw. Lüneb. Landesord. Tom. I p. 241. tit. immunitates und Freyheiten der Kirchendiener*, sequentem in modum: *Und damit unsere Kirchendiener sich vor und neben unsern Unterthanen destoweniger zu beschweren, wol aber ihres Amts zu getrösten und zu erfreuen, und anfenglichs, woferne sie zugleich andere unsere Unterthanen in Sachen ihre Person belangend,* actionibus personalibus *vor den Gerichten, da sie der Kirchen dienen, zu Recht stehen sollen, ihnen und ihren Ampt dadurch Verkleinerung erfolgen mögt: So ordnen und wöllen wir demnach, wofern sich zwischen unsern Amptleuten, einem oder mehr unserer Unterthanen, gegen einen Pfarrherr, Prediger,* Diacon *oder* Subdiacon, *zutrüge Zweytracht, oder Wiederwillen, daß anfenglichs die Sache und Parteyen, durch den* Special-Superintendenten *selbigen Orts, neben dem Amptmann, wo derselb darinnen nicht verhafft, oder zweyen des Gerichts gütlich verhöret, auch unterstanden werde, sie mit wissenden und billigen Dingen zu erinnern. Da aber über solche*

che Unterhandlung] und angewandten Fleiß, sie einander Fürderung nicht erlassen wolten, soll der Superintendens *mit dem Amptmann, und zweyen vom Gericht an unser* Consistorium *gelangen lassen, was sie zwischen ihnen gehandelt, wie alle Sachen geschaffen, und an wem die Gütlichkeit erwunden, daselbsten durch sie, unsere Kirchen-Räthe der Parteyen Sachen, auszuführen, und zu entscheiden.*

Obstare quidem nostrae hypothesi verba videntur, quod Superintendens coniunctim cum Praefecto & duobus personis iudicialibus primam cognitionem instituere vbique iubeatur, quasi haec omnia iudicium aliquod vel saltem notionis speciem inuoluant; sed salua res est, siquidem ipse ZIEGLERVS (x) hoc dubium sibimet ipsi formatum, sequentibus refellit verbis: *At vero nullam omnino ex verbis allatis exsculpere sibi poterunt Superintendentes iurisdictionem, & nec Praefecti quidem in his caussis aut Scabini, qui adhiberi debent, non magis atque Curatores Ecclesiae* die Kirch-Väter, *quos itidem adhiberi in tali negotio quandoque vult constitutio* (Saxonica). *Hos vero quis dicere velit iurisdictionem aliquam habere? Scilicet totum hoc negotium non in iudicandi potestate, sed in nuda audientia & amicabili compositione, qualem supra descripsimus, absoluitur, quae si locum non inueniat, quandoquidem ad concordiam cogi nequeunt partes, cessat omne reconciliationis officium, & partes ad iudicium ordinarium remittuntur. Quod diserte praescribit constitutio. Vt maxime igitur alias Praefectus aut officialis alius, Superintendenti adiunctus, iurisdictione polleat, & magistratus partes suscipiat, in caussis tamen ecclesiasticis & vbi clericus personaliter conuenitur, nullam habet iudicandi & iurisdictionem exercendi potestatem, quippe*

(x) c. l.

quae & ipsa penes iudicem ordinarium cessat, & quiescit interim, quoad ille in actu amicabilis compositionis versatur, & arbitratoris partes sustinet, a quo hactenus nihil omnino differt. Aliud huius rei argumentum ex nostra constitutione, supra allata, adferri potest: *Damit den Kirchendienern und ihrem Amt nicht Verkleinerung erfolgen möge, woferne sie zugleich andern unsern Unterthanen in Sachen ihre Person belangend,* in actionibus personalibus *vor den Gerichten, da sie der Kirchen dienen, zurecht stehen sollen &c. &c.* quae ratio satis superque docet, Superintendentibus, licet Praefectum aliosque officiales adiunctos habeant, tantum amicabilem compositionem, haud vero notionem caussae, multo minus iurisdictionem, commissam esse.

§. XIII.

Respuit nuda notio mixtum imperium (§. III. & IV.) sed omnis vis in totum abesse nequit, ne derisoria plane fiat notio. Vno verbo: eiusmodi vis, sine qua notio seu processus expediri non poterat a iudice pedaneo, omnino notioni danda est nunc & olim. Pertinet huc notionem instituens vt deferre possit iuramentum in litem, vt reum pro confesso habeat, coërceat contumaciam, excludat a probatione &c. qui actus, vti dictum, eam ob caussam ad mixtum imperium referri nequeunt, quia notio sine his expediri non potest, & praeterea mixtum imperium designet maiores actus. Quae quum ita sint, facile patet, etiam arbitris, licet nullam habeant iurisdictionem, absque dubio illa, sine quibus notio institui commode nequit, competere.

§. XIV.

Omnes magistratus apud Romanos in eo quidem conueniebant, quod imperio, auctoritate & dignitate pollerent, ius statuen-

ſtatuendi, praecipiendi & exequendi haberent, ſed quum magiſtratus vel *maiores* eſſent vel *minores*, magna ſane intuitu horum omnium inter magiſtratus erat differentia.

Conſules, ait GELLIVS (y), ceterique, maieſtate imperii gaudentes, vocare, prehendere, tenere & abducere poſſunt, Quaeſtores autem & ceteri minores neque vocationem, neque prehenſionem habent, quod lictore & viatore deſtituerentur. Immo & tribunos prehenſionem, non vero vocationem habuiſſe, idem teſtatur (z), addens rationem: quod tribuni antiquitus creati fuerint non iuri dicundo nec cauſſis, querelisque de abſentibus noſcendis, ſed interceſſionibus faciendis, quibus praeſentes fuiſſent, vt iniuria, quae coram fieret, arceretur.

§. XV.

Erat maieſtas imperii penes populum romanum, prout forma reipublicae deſiderabat, & quum populus imperium ſuum per magiſtratus maiores imprimis explicaret, quibus ſummus honor debebatur, hanc ſummam dignitatem appellare non dubitauit *imperii maieſtatem;* vnde maieſtas patrum apud LIVIUM (a) maieſtas conſularis imperii (b), maieſtas Senatus (c), maieſtas Cenſorum apud eundem (d), nec non praetoria maieſtas apud ICtum PAVLVM (e) aliosque auctores paſſim occurrit.

 §. XVI.

(y) L. 13. c. 12.
(z) c. l.
(a) L. 2. c. 40. & L. 10. 37.
(b) L. 2. c. 57.
(c) L. 8. c. 15.
(d) L. 9. c. 3.
(e) In L. 11. circa fin. de I. & I. & in L. 9. de iurisd.

§. XVI.

Creabantur magistratus maiores auspicato i. e. voluntate diuina ante electionem explorata, id quod de magistratibus minoribus dici nequit. Ita enim Appius Claudius apud LIVIUM (f): *Penes quos igitur sunt auspicia more maiorum? nempe penes patres; nam plebeius quidem magistratus nullus auspicato creatur.* Illi habebant tribunalia, ad quae per gradus ascendendum, ita vt in loco subliniori *sella curulis* posita erat, ex qua de grauioribus caussis cognoscebant, vnde MARTIALIS (g):

> *Sedeas in alto tu licet tribunali,*
> *Et e curuli iura gentibus reddas.*

Hi in planitie habebant subsellia, vnde loquutiones duae: *de simpli & plano & coram tribunali*, saepius in iure sibi opponuntur. Praeterea maiores magistratus, imperii maiestate coruscantes, in ius vocari non poterant, bene tamen magistratus minores, qui tanto dignitatis gradu erant destituti. Hoc sensu imperium & iurisdictio a se inuicem distinguitur a ICto VLPIANO (h) ita scribente: *Iubere caueri Praetoria stipulatione, & in possessionem mittere, imperii magis est quam iurisdictionis. Clarius idem hac de re ait* (i).: *Quod & si ex minoribus magistratibus erit, id est, qui sine imperio aut potestate sunt magistratus, & in ipso Magistratu posse eos conueniri.* Opponuntur sibi itaque (k) iurisdictio & imperium, quae loquu-

(f) L. 6. c. 41.
(g) Lib. 11. epigram. 99.
(h) In L. 4. de iurisdict.
(i) In L. 32. de iniur.
(k) in L. 4. de iurisdict.

ſoquutiones tamen alias (l) ſynonimice accipiuntur. Sed facilis erit reſponſio. Imperium ſi adſcribitur magiſtratibus minoribus, haud intelligitur ſummum, excellens, ſiue imperii maieſtas, ſed tantum merum imperium, tanquam vltimum iurisdictionis, ſiue poteſtas coërcendi cum iurisdictione ſemper coniuncta. Comparatiue igitur loquendo maiores cum imperio, minores autem ſine imperio & poteſtate eſſe dicebantur, quod poteſtas imperandi intuitu horum ſe non adeo oſtendat, vti quidem reſpectu magiſtratuum maiorum, quibus paſſim imperii maieſtas tribuitur. Eodem modo iam intelligendus eſt ICtus PAVLVS (m) inquiens: *Ea quae magis imperii ſunt, quam iurisdictionis, Magiſtratus municipalis facere non poteſt, Magiſtratibus municipalibus non permittitur in integrum reſtituere, aut bona rei ſeruandae cauſſa poſſidere, aut dotis ſeruandae cauſſa, aut legatorum ſeruandorum* (n). Diuiſio haec inter magiſtratus maiores & minores *in Ober-und Untergerichte*, hodienum quoque cognita eſt, ſed definitiones admodum diuerſas eſſe ex inſtituto Ill. BOEHMERVS docuit (o).

§. XVII.

Imperium apud Romanos erat duplex, nempe *mixtum* & *merum*. Hoc priuatiue ad criminalia ſpectat, & ideo recte imperium vocatur merum, quia hic omnia vere ad coactionem redeunt. Nam & inuitus in ius vocatur reus, & in vincula deducitur, & diris quaeſtionibus ad confeſſionem adigitur, ac denique ab ipſo ſumitur ſupplicium coacto, quae omnia in cauſſis ciuilibus ceſſant. *Merum* ergo opponitur ei, quod mixtum eſt,

(l) vti ex L. 12. §. 1. de iudic. adparet.

(m) In L. 26. ad municip.

(n) conf. NOODT de iurisdict. c. 2.

(o) *in diſſ. de maieſtate imperii magiſtratuum maiorum cap. 2.*

eſt, vti apud Graecos τὸ ἄκρατον τῷ μιχθέντι, qua propter egregie falſum eſt imperium merum denotare excellens, ſummum, vehemens, rigoroſum &c. id quod obſeruandum eſt contra virum Ill. GER NOODT, qui (p) hanc interpretationem fouet, quum mixtum eidem ſit *leue* vel *temperatum*, licet vel verba quidem hanc interpretationem non ferant. Mixtum imperium eſt ius exſequendi in cauſſis ciuilibus, & iurisdictioni, licet ab ea plane diuerſum ſit, ſemper cohaeret (q). Neque apud Romanos tam minimus erat Magiſtratus, qui non aliquam cogendi haberet poteſtatem, quia iurisdictio absque efficacia fuiſſet corpus absque anima, ne dicam fallax vmbra.

§. XVIII.

Quemadmodum vero iurisdictio omnibus & ſingulis in aequali gradu haud competit, ita quoque nec mixtum imperium. Plura de hoc argumento occurrunt in legibus romanis teſtimonia. Sic duumuiri i. e. magiſtratus municipales iurisdictionem ſuam poenali iudicio defendere non poterant (r), & quae ſunt reliqua huius farinae: Immo praxis teſtatur & hodienum dari iurisdictiones ſimplices absque mixto imperio *ohne den Gerichts-Zwang*, hoc ſenſu vt alter magiſtratus, ſi ad coactionem deuenitur, implorandus ſit. Pertinent huc iudicium ciuile Göttingae, nec non teſte STRYKIO (s) iudicia pagana Sculteforum, praecipue in Saxonia, quibus nihilo ſecius iurisdictio, ob notionem proprio iure competentem, adſcribenda eſt, licet non habeant imperium mixtum, (§. IV.) quo Praetor regius,

(p) In Lib. de iurisdict. 1. c. 1. & 2.

(q) L. 3. de iurisdict.

(r) L. vn. pr. ff. ſi quis ius dic. non obtemp.

(s) In V. M. de iurisdict. §. 9.

regius, vi recessuum, priuatiue hic gaudet, siquidem iudicium ciuile Göttingense post rem iudicatam interponere solet decretum: *wird numehro diese Sache dem Königl. und Churfstl. Gerichtschultzen-Amte hiemit zur* execution *übergeben*, & nemo hanc ob caussam, nisi rotunda quadratis miscens, denegabit iudicio nostro ciuili iurisdictionem, quae omnia contra D. D. quosdam (t) probe notanda sunt.

Consistit mixtum imperium in potestate inuitos coërcendi, iurisdictionem tuendi & iudicata exsequendi (u).

§. XIX.

Varia sunt cogendi media, veluti *mulctae dictio* (x); *incarceratio*, quae tam ad mixti, quam meri imperii actus pertinet, quatenus pro diuerso obiecto dictatur; *fori interdictio* (y). Sic apud nos quoque moris est postulatione Aduocatos improbos interdicere; *missio in possessionem* (z), quo remedio imprimis contra contumaces vtebantur Romani, quod tamen in nostris foris penitus sublatum est (a); *denegatio audientiae*, si quis nempe dolose decreto iudicis non obtemperauerit, ipsis enim delinquentibus Praetor non subuenit (b): quod medium & hodie apud nos circa reconuentionem habere potest locum, *wenn sich Wiederbekl. auf die* reconuention *nicht einlassen will*, tandem, vt reliqua sileam, huc pertinet *manus militaris* (c) quae & apud nos interdum iurisdictionis vltimum esse solet.

§. XX.

(t) a STRYKIO c. l. adductos.

(u) *L. vlt. cit. L. 9. §. fin. π. ad L. Iul. pecul. L. 9. pr. & §. 1.* de poen.

(x) L. 2. §. 1. si quis in ius voc.

(y) L. 9. pr. & §. 1. de poen.

(z) L. 4. §. 4. π. de dam. infect.

(a) *Calenb. Canzl. Ordn.* tit. 27.

(b) L. 26. §. 5. ex quib. caus. mai.

(c) L. 68. de R. V.

§. XX.

Hactenus de iurisdictionis definitione & natura loquuti sumus, sequuntur iam iurisdictionis variae diuisiones. Imprimis dispescitur iurisdictio in *propriam* & *mandatam*. Hae distinctio, vt veteres dicere solent, est *aequiuoca in sua aequiuocata* i. e. in primo membro sumitur iurisdictio in sensu proprio, in posteriori pro iurisdictionis exercitio. Propria iurisdictio dicitur, quae Magistratibus vi officii competit, siue officium ex populi suffragio, vti olim apud Romanos, ex lege comitiali, siue a summo Imperante habent (§. V.), quippe qui recte fons cuiuscunque iurisdictionis appellatur. Mandata iurisdictio nihil aliud est, quam vicarium exercitium alienae iurisdictionis, vicario a magistratu ordinario commissum (d). Committitur tamen haec mandata iurisdictio vel ex *libera* iudicis ordinarii *voluntate*, vti in commissionibus fieri solet, vel *necessario*, quorsum referebantur olim proconsulis legati. (e), quapropter ab hoc legato non ad Proconsulem, sed ad Senatum appellandum erat, habebat enim legatus potestatem suam a populo, ad cuius exercitium tantum desiderabatur Proconsulis mandatum (f). Apud nos eadem viget obseruatio, siquidem Göttingae, vt reliqua sileam exempla, necessario Senatori cuidam iurisdictio mandata est *über die Stadt-Dörffer Roringen und Herbershausen*, qui vocatur *der Voigt-Herr*, a quo appellatio dirigitur immediate ad superiora iudicia. Vocatur hoc iudicium *das Voigtey-Gerichte*. Idem quoque obtinet circa patrimonialem iurisdictionem.

§. XXI.

(d) SVTHHOLD de iurisdict. §. 339.
(e) L. 4. §. 6. de offic. procons.
(f) L. 2. quis & a quib. appel.

§. XXI.

Regulariter quidem in munere Magiſtratus obeundo perſonae induſtria & habilitas deſideratur, adeoque ſecundum regulam vices ſuas alteri mandare nequit; verum enim vero apud Romanos more maiorum magiſtratibus maioribus, ob ſummam dignitatem, & quod omnia negotia in rebus militaribus & ciuilibus, ob varia impedimenta, curare non poterant, integrum erat iurisdictionis vices alteri mandare (g). Minime tamen cum SCHILTERO (h) dixerim, hodiernis moribus vix ac ne vix quidem exſiſtere eiusmodi iudicem, cuius iurisdictio mandata dici poſſit, quia ratio mandandae iurisdictionis, apud Romanos ex more maiorum deſcendens, iam dudum ab vſu receſſerit; facile enim haec refelli poſſunt notabili inſtantia, a nobilibus, patrimonialem iurisdictionem habentibus, deſumta, hos enim iurisdictionem ſuam iuſtitiario ſuo mandare vna cum mixto imperio expediti iuris eſt (i). Coeterum non nego, haec omnia non ex iure romano, ſed ex moribus domeſticis explicanda eſſe, quorſum etiam pertinet Germaniae conſuetudo, quod in praelaturis & Epiſcoporum Dioeceſibus eiusmodi mandata iurisdictio occurrat, vti vel Archidiaconi exemplum docet. Interim ab eiusmodi iudicibus, qui mandatam exercent iurisdictionem, longe differunt Commiſſarii, de quibus infra dicendi erit occaſio.

§. XXII.

In mandanda iurisdictione ſequentia ſunt obſeruanda iure romano: I.) vt mandans iurisdictionem habeat ſuo iure i. e.

 prin-

(g) L. 1. §. 1. de offic. eius cui mand. L. 5. & 6. h. t. L. 15. de offic. procons.

(h) Ex. 5. ad ff. §. 22.

(i) STRYK in V. M. h. t. §. 23. ibique BERLICHIVS p. 1. concl. 5. n. 31. citatus.

principaliter, vi officii, non ex alieno beneficio seu magistratus commissione, quod vel inde dignoscitur, si suo nomine omnia mandat atque decernit, quum mandatarii non suo, sed principalis nomine omnia agant: Vnde PAVLVS (k) scite ait: *mandatam sibi iurisdictionem mandare alteri non posse, manifestum est.*

II.) Requiritur, vt mandans eo tempore, quo mandat, actu exercere possit iurisdictionem, ita Proconsuli non prius competebat iurisdictio, quam prouinciam erat ingressus, antea enim legato suo iurisdictionem mandare non poterat, in cuius rei rationem optime inquirit VLPIANVS (l).

III.) Iis tantum mandari potest iurisdictio, qui nullo, tum quoad corpus, tum quoad animum, defectu laborant. Prohibentur itaque iudices esse surdi, muti, mente capti, furiosi, impuberes &c. quod tamen aliter in coeco sese habet (m).

IV. Mandari non posse iurisdictionem extra mandantis territorium, facile intelligitur. Immo si iudex delegatus extra delegantis territorium iudicium instituerit, & partes citatae ei obtemperauerint, omnia pro infectis habentur, adeo vt nequidem appellandi necessitas victis aduersus sententias imponatur (n).

§. XXIII.

Mandanda autem est V.) ipsa iurisdictio vel vniuersa vel vna caussarum species. (o) quo ipso tamen mandatarius haud

(k) in L. fin. pr. D. de offic. ei. cui mand. est iurisd.
(l) *In L. 4. §. fin. de offic. Proconf.*
(m) *L. 6. D. de iudiciis.*
(n) *L. 1. pr. C. qui pro sua iurisdict.*
(o) NOODT *de iurisdict. l. 2. c. 2.*

haud confunditur cum iudice pedaneo, siquidem mandatarius iudex, licet vna tantum caussarum species ipsi mandata esset, *a)* ipsam iurisdictionem, quoad effectum, exercet, iudex pedaneus vero nudam habet notionem, adeoque ille de caussae iustitia cognoscit, hic tantum de nudo facto est sollicitus, ex quo recte sequitur *b)*, vt mandatarius suam sententiam, non item iudex pedaneus exsequi possit *c)*; mandatarius ius suum morte mandantis amittit, si modo res adhuc sit integra, id quod de iudice pedaneo dici nequit (p); *d)* a iudice pedaneo appellatur ad eum, qui dedit (q), à mandatario vero non ad mandantem, sed mandantis superiorem, immo *e)*, vti dictum est, iudex pedaneus datur ad vnam caussam, mandari autem potest omnis iurisdictio, tandem *f)* ipse mandatarius, si quaestio facti in lite versabatur, iudicem pedaneum dare poterat (r), immo dare debebat, si processus in caussa ciuili esset ordinarius scil. formularis, quippe in quo semper per iudices pedaneos fiebat caussae cognitio. Quod si vero de iure esset quaestio, mandatarius alium substituere non poterat, quum electio iudicis pedanei ex regulis processus penderet, mandatariorum autem constitutio ex arbitrio magistratus, qui personae industriam eligeret.

§. XXIV.

Continebat nuda iudicis pedanei notio *a)* caussae cognitionem & facti discussionem, *b) sententiae lationem* (s), quam tamen ipse exsequutioni dare non poterat; lata enim sententia

(p) *L. 49. §. 1. D. de iudic.*
(q) *L. 1 pr. D. quis & a quo appl.*
(r) *L. 12 §. 1. D. de iudic.*
(s) *L. 55. D. de re iudic.*

officium iudicis pedanei exſpirabat, & exſequutio ab eo, qui iudicem dederat, abſciſſe fiebat, ſiquidem & a Diuo PIO (t) reſcriptum eſt, *Magiſtratus populi romani, vt iudicum a ſe datorum, vel arbitrorum ſententiam exſequantur hi, qui eos dederunt.*

§. XXV.

Denique VI.) ea tantum a magiſtratu poſſunt mandari, quae ipſi ſunt propria, id eſt, quae magiſtratui iure ordinario, ſub generali conceſſione, competunt (u), vnde iurisdictio, cum mixto imperio coniuncta, recte mandari poteſt (x), nec minus ex conſtitutione Imperatoris Seueri & Antonini ſpecialiter huc pertinet cognitio de ſuſpectis tutoribus, quae tam propter vtilitatem pupillorum, quam ex mandata generali iurisdictione competit mandatario (y).

§. XXVI.

E contra ſicut is, qui dominus non eſt, ordinarie non poteſt mandare, ita & magiſtratus in iis, quae iure ſuo non habet, mandare nequit; pertinent huc omnia, quae ſunt extraordinariae poteſtatis, ſpecialiter & nominatim concedenda magiſtratui vel lege, vel *SCto*, vel *conſtitutione principum* (z); ideo non poteſt quis gladii poteſtatem, ſibi datam, vel cuius alterius coercitionis, ad alium transferre, nec liberandi igitur reos ius, cum accuſari apud eos non poſſint (a). Addunt quidem

(t) *L. 15. pr. ff. de re iudic.*
(u) *L. 1. pr. D. de offic. eius cui mand.*
(x) *L. 1. §. 1. L. 5. §. 1. c. l.*
(y) *L. 4. c. l.*
(z) *L. 1. pr. c. l.*
(a) *L. 6. pr. D. de offic. proconſ.*

quidem nonnulli Doctores hanc exceptionem a regula, vt in casu absentiae merum imperium possit mandari, prouocantes inprimis ad PAPINIANI verba (b), sed, re penitus inspecta, sibimetipsis imponunt: Asserit hic ICtus, *quaecunque specialiter lege vel Senatus consulto, vel constitutione Principum tribuuntur, mandata iurisdictione non transferri:* Haec generalis est iuris romani regula, quamque ICtus exemplo quodam declarare satagit, in haec verba scribens: *Et ideo videntur errare magistratus, qui cum publici iudicii habeant exercitionem Lege, vel Senatus consulto delegatam, (veluti Lege Iulia de adulteriis, & si quae sunt aliae similes) iurisdictionem suam mandant.* Porro Papinianus huic demonstrationi addit decantatum illud: *exceptio in casibus non exceptis firmat regulam*, & exempli loco ait, in crimine legis Iuliae de vi publica specialiter tantum admissam esse mandatam iurisdictionem criminalem ob magistratus absentiam: En ipsissima huius ICti verba: *Huius rei*, scil. quod merum imperium mandari non possit, *fortissimum est argumentum, quod Lege Iulia de vi* nominatim cauetur: Vt is, cui obtigerit exercitio, (potius legendum esse videtur coercitio) possit eam, si proficiscatur, mandare. *Non aliter itaque* (scil. in crimine legis Iuliae de vi publica) *mandare poterit, quam si abesse coeperit: cum alias iurisdictio a praesente mandetur.*

Quod ergo in crimine legis Iuliae de vi publica, tanquam specialissima exceptio a regula, dispositum fuit, haud temere ad vniuersam iurisdictionem criminalem in casu absentiae adplicandum est, praesertim quum haec exceptio firmans regulam haud in absentia Magistratus, sed in eo potissimum fundata sit, quod

(b) *Quae habentur in Lege 1. pr. D. de offic. eius cui mand. est iurisd.*

quod grauissimum periculum in mora esset, si ciues, arma domi cogentes, bona rapientes, iudicia vel conciones turbantes, seditionem agitantes, villas expugnantes &c. &c., in crimen legis Iuliae de vi publica inciderent, quo sane casu opus erat, vt magistratus, quando proficisceretur, huius criminis coercitionem alicui mandare potuerit, ne tritum illud:

principiis obsta, sero medicina paratur,

cum magno reipublicae detrimento perdat adplicationem. Salua igitur hac exceptione, stat vt Marpesia cautes principium istud generale iuris romani: *merum imperium mandari non potest, licet Magistratus proficiscatur.* Quapropter & PAPINIANVS (c) his verbis concludit: *Et, si a familia dominus occisus esse dicetur, cognitionem Praetor, quam,* non vi officii sui, sed extra ordinem *ex Senatus consulto habet, mandare non poterit.*

§. XXVII.

Secundum ius germanicum haec res paullo aliter se habet. Nam propter iurisdictionem patrimonialem, quae vendi, locari, pignorique dari potest, etiam admitti debuit delegata potestas, & quidem ob multas rationes, nempe quod possessores praediorum vel aetate, vel sexu, vel dignitatis statu, vel scientiarum inopia, vel denique alio obstaculo impediantur, quo minus iuri dicundo praeesse possint.

Antiquis temporibus quilibet dominus iurisdictioni vacare ipse debebat; adeo vt nequidem Imperatores huic labori sese subducerent, quorsum inter alia spectat Friderici II. Imperatoris constitutio de anno 1234. apud ALBERICVM: *Ecce in manus Principum promisimus, quod in quolibet mense vbicunque in*

(c) In L. 1. cit.

in Imperio fuerimus, quatuor diebus ad minus personaliter *volumus iudicio publico praesidere, quod etiam a quolibet iudice fieri volumus. Quodsi* PRINCEPS *facere neglexerit, & de hoc conuictus fuerit, vt exigit iuris ordo, domino Regi centum libras auri persoluat.*

Verum enim vero hoc iam dudum ab vsu recessit, postquam ius ciuile istud subtilissimum fora occupauit. Imino ipsi praefecti regii alios substituere coeperunt, si modo speciale accederet priuilegium, notante DATTIO (d); multo magis ergo iurisdictio patrimonialis, ob supra allatas rationes, non quidem ex speciali Principis indulgentia, sed more maiorum delegata fuit tam quoad ciuiles, quam actus criminales.

§. XXVIII.

Habetur quidem in Constitutione Carolina (e). *Welche Personen von ihrer Güter wegen peinliche Gerichte zu besitzen schuldig sind, und dasselbe aus Schwachheit und Gebrechlichkeit ihres Leibes, Vernunfft, Iugend, Alters* oder anderer Geschicklichkeit halber *nicht besitzen, oder verwesen mögen, so offt das Not beschicht, soll der, oder dieselbige ander tügliche Personen, zu Besitzung des peinlichen Gerichts, an ihrer statt ordnen und bestellen,* mit Wissen und Zulassen desselben Ober-Richters; sed haec restrictio, quod nempe absque speciali Principis indulgentia criminalis iurisdictio patrimonialis mandari non possit, nunquam in praxi recepta est, quin potius iustitiarii simpliciter a dominis iurisdictionalibus, iuramento obstricti, mero imperio praeficiuntur, licet nulla delegationis adsit caus-

sa

(d) L. 1, 87.
(e) Art. 2.

sa (f), adeo vt frustra disquisitioni subiiciamus hodie, quaenam caussae sub verbis articuli: *oder anderer Geschicklichkeit halber &c. &c.* intelligantur.

§. XXIX.

Ex diuerso haec omnia proficiscuntur fundamento; nam apud Romanos vnum tantum mandandae iurisdictionis erat momentum, nempe eximia magistratus maioris dignitas; apud nos autem iurisdictio patrimonialis, in qua nunquam personae industria & peritia eligitur, fundamenti loco ponitur, & perabsurdum foret si viduae, patrimonialem iurisdictionem habenti, aliique personae minus aptae, facultatem mandandi iurisdictionem eripere velles. Interim tamen inter iurisdictionem officialem & patrimonialem & haec apud nos intercedit differentia: In hac omnimodam iurisdictionem, in illa vero tantum iurisdictionis quendam actum posse mandari, vti infra pluribus declarabimus.

§. XXX.

Exercet mandatarius iurisdictionem vice mandantis, propriumque nihil habet (g), immo licet Praetor sit is, qui alienam iurisdictionem exsequitur, non tamen pro suo imperio agit, sed pro eo, cuius mandatu ius dicit, quoties partibus eius fungitur (h). Recte itaque mandatarius seu vicarius idem cum mandante tribunal habet, atque pro tribunali cognoscere dicitur (i), aeque ac ipse magistratus principalis. Consequens itaque est, vt a mandatario appellari non possit ad mandantem, bene

(f) METZGER. Cons. crim. 15.

(g) *L. 1 §. 1. D. de offic. eius cui mand.*

(h) L. 3. eod.

(i) NOODT *de iurisdict. l. 2. c. 10.*

bene tamen ad mandantis superiorem, alias enim appellatio ab eodem ad eundem omnino esset licita. Porro quum nemo, nisi qui propriam, id est vi officii sibi competentem, habeat iurisdictionem, mandare possit, nemo facile dixerit, ipsos mandatarios iterum mandare posse. Exemplum habemus in legato Proconsulis, qui ob hanc rationem mandare iurisdictionem nequit. Disertis verbis hoc firmat PAVLVS (k) aiens: *Mandatam sibi iurisdictionem mandare alteri non posse, manifestum est.*

§. XXXI.

Quum iurisdictionem mandatarius vi mandati explicet, facile patet, iurisdictionem iisdem modis cessare, quibus mandatum solui solet, veluti 1.) mandantis reuocatione (l), vbi & hoc singulare habetur, quod Proconsuli quidem licuerit mandatam iurisdictionem legato suo adimere, sed non inconsulto Principe. Interim tamen quum apud nos iustitiarii, vti vocantur, officio fungantur publico, & mediante contractu innominato constituantur, haud temere vel inopinate sunt reuocandi, quippe quod absque magno ipsorum praeiudicio fieri nequit; vnde vt plurimum haec clausula inseri solet contractui: *daß sich beyderseits* Contrahenten *eine viertel-oder halbiährige Loßkündigung wolten vorbehalten haben.*

2.) Soluitur mandata iurisdictio morte mandantis, quia, vti PAVLVS ex mente Labeonis (m) ait; neque principaliter iurisdictio data est mandatario, neque ipsa lex defert, sed tantum confirmat mandatam iurisdictionem; requiritur tamen vt res ad-

(k) *In L. fin. pr. D. de off. eius cui mand.*

(l) *L. 6. § 1. D. de off. proc.*

(m) in L. 6. h. t.

huc sit integra, id est, vt res ab eo, cui mandata est iurisdictio, geri non coeperit, vel, vt clarius loquar, iudicium non fuerit coeptum, quod olim litis contestatione (n) fiebat, hic erat terminus iuris antiqui, quorsum etiam Pontifex (o) respexit: Verum enim vero quum hodie iudicia nostra primordium capiant ex citatione, magis quoque dicendum esse videtur, quod mandata iurisdictio per solam citationem reddatur perpetua in ea litis specie, quae iam citationem impetrauit. Pontifex VRBANVS III. (p) hanc normam procul omni dubio sibi posuit, vt adeo frustra GONZALEZ (q), de conciliatione horum textuum sit sollicitus, nodum in scirpo quaerens.

Ex his omnibus autem fluit axioma illud generale: *In caussis pendentibus recte procedit mandatarius, nec nouo mandato, ab heredibus mandantis exspectato, indiget.*

5.) Soluitur mandata iurisdictio *morte mandatarii*, quia fides & industria certae personae electa erat, & negotium hoc personale est (r).

§. XXXII.

Mandatarii, de quibus hactenus actum est, dicuntur quoque in iure canonico *delegati iudices*; in strictiori tamen sensu iudices delegati a mandatariis iudicibus differunt, ita vt *mandatariis, denen Gerichtsverwaltern*, omnium caussarum iurisdictio, *iudicibus delegatis* autem iurisdictio in certa tantum caussa delegata sit; adeo vt illos nominare posses: *delegatos generales*, hos

(n) L. 16. de procurat.

(o) *In c. 19. X. de offic. & potest. iud. deleg.*

(p) *in c. 20 eod.*

(q) *ad cit. c. 20. n. 6.*

(r) ENGELBRECHT *h. t. §. 4. in fin.*

hos vero: *delegatos particulares* siue *extraordinarios*, quum regulariter ipsa iudicia ordinaria ita instructa esse debeant, vt caussis decidendis propriam operam nanare possint.

Solent hi delegati particulares vt plurimum confundi cum *commissariis*, a quibus tamen, si verborum curiosissimi esse velimus, vt *maius* & *minus* differunt. Nam Commissarius est vox generalis, eiusmodi hominem, cui a Principe vel a quocunque superiore negotia iudicialia vel extraiudicialia committuntur, vi vocis designans; at iudici delegato particulari non, nisi iudicialia negotia, delegantur (s).

§. XXXIII.

Dantur delegati vel a Principe vel a Magistratu subalterno. Illis interdum totius caussae alicuius decisio committitur, & sunt tanquam iudices ordinarii inferiores, coram quibus alias prima est instantia; quae obseruatio ratione appellationis suum praebet vsum, quum ab iis ad Principem competentem appellari queat. Interim quia nemo facile ab ordinariis iudiciis trahi potest, regulariter hae commissiones declinari possunt, nisi Princeps proprio impulsu & ex praegnantibus rationibus, puta, si inter parentes & liberos, inter parochum & parochianos lis intercesserit, vel controuersia magnos motus minetur, commissarios nominauerit. Facile autem patet, personae industriam in commissariorum constitutione fuisse electam, adeoque regulariter subdelegandi potestatem non habere locum, cui & hoc accedit, quod Commissarii haud comparari possint cum Praesidibus Prouinciae, nec gaudeant iurisdictione patrimoniali, adeoque tum de iure romano tum germanico cessat ratio potestatis subdelegandi. Interea tamen per modum exceptionis a regula

D 3 Com-

(s) BOEHMER *in I. E. P. l. 1. tit. 29. §. 8.*

Commissariis potestas subdelegandi competit, & quidem si haec data sit vel *expresse* vel *tacite*. Illud fieri solet, si ab Imperatore datur Commissarius addita clausula: *oder wen Ew. Liebden dazu* subdelegi*ren;* tacita autem committentis voluntas colligitur 1.) ex singulari & eximia Commissarii dignitate, vtpote si Princeps Elector vel Dux ab Imperatore ad commissionem denominatur; 2.) ex peculiari statu, puta, si abbatissa vel alia persona moralis fuerit electa, cuius status omnino impedit, ne ipsa delegationem expedire possit (t).

§. XXXIV.

Quod si vero a Magistratu subalterno commissarii dentur, isti longe ab his, qui a summa potestate constituuntur, differunt, nam 1.) ipsis nequidem in certa caussa vniuersa iurisdictio dari potest, sed tantum eiusmodi actus, qui commode in sessione ordinaria expediri nequeunt, vnde nonnullis committi solet examen testium, inspectio ocularis, rationum iustificatio & imprimis tentamen amicabilis compositionis, haud vero, vti dictum, vniuersa iurisdictio; sicuti enim haec in genere in quibuscunque caussis hodie regulariter mandari nequit, ita nec in certa caussa, nam quicquid negatur de genere, id quoque de singulis speciebus erit negandum. Tandem obserua, quod haec omnia adplicari non possint proceribus prouinciae, quibus totius regionis directorium & regimen illustre est concessum, hi enim non sunt nudi magistratus subalterni, quippe qui maius imperium exerceant.

§. XXXV.

Potest quidem Princeps commissariis vniuersam committere iurisdictionem, quique similes sunt delegatis a Principe (u), sed

(t) BOEHMER *c. l.* §. 14. *sqq.*

(u) STRYK *in diss. de deleg. Principis.*

sed hoc rarius hodie fieri solet; vt plurimum tantum actus quidam iudiciales mandantur, v. c. examen testium, nuda caussae cognitio, vel sine vel cum voto: *daß sie nebst der* relation *ihr Gutachten einschicken sollen;* immo aliquando cum facultate sententiam ferendi; quin quod quibusdam sola executio committatur, vbi frequens ista oritur quaestio, vtrum eiusmodi Commissarii etiam de exceptione, quae executioni opponitur, cognoscere possint? In diuersas hic Doctores eunt partes. Alii negatiuam fouent sententiam, quia Commissariis de rebus, in commissorio non expressis, iudicare non liceat, quum commissiones sint stricti ioris (x), hinc coram Commissariis nec adhaesioni nec interuentioni sit locus (y), immo coram Commissariis leuteratio a sententia, quam isti publicarunt, interposita non valeat, sed coram iudice delegante fieri oporteat (z). Iterum alii pro affirmatiua sententia hasce adducunt rationes, quod circa accessoria & connexa Commissarius cognoscere possit (a), adeoque partes citare, contumaces punire, nuncium eligere, eundemque, si falsam relationem fecerit, punire, & reliqua peragere possit, quae ad caussae expeditionem necessario requirantur (b). Sed in tanta Doctorum contentione satius esse exsistimo, vt Commissarius de exceptione, quae opponitur executioni, ad committentem referat, neque caussae cognitionem vltra limites commissorii instituat. Nam commissiones ita sunt stricti iuris, vt Commissarius denegare non possit inspectionem commissorii, quando partes id exposcant, quamuis Commis-

(x) *c. 33. X. de offic. iud. deleg.* GAILIVS *l. 1. obs. 35. n. 8.*

(y) MEVIUS *P. 6. dec. 255.*

(z) BERGER *oecon. iur. lib. 4. tit. 3. th. 1. not. 13. p. 920.*

(a) *c. 5. X. de off. iud. deleg.* GAILIVS *l. 1. obs. 35. n. 1.*

(b) GAIL. *c. l. n. 9.* CARPZ. *proc. tit. 2. art. 3. n. 33.*

Commiſſarii prudentes, commiſſionem aperientes, ſua ſponte tenorem commiſſionis aperire ſoleant.

§. XXXVI.

In noſtris terris nunquam a Dicaſteriis vel Magiſtratu vniuerſa iurisdictio delegatur, ſed tantum eiusmodi actus, qui in ordinaria audientia expediri nequeunt, Commiſſariis committi ſolent. Immo nequidem Princeps totam cauſſam coram commiſſione, niſi grauisſimae rationes id ſuadeant, tractare iubet (c). Quodſi vero a ſummo Imperante vniuerſa cauſſa cum poteſtate decidendi commiſſariis extra ordinem committitur, hi nunquam Principis ſed proprio nomine ſententiam ferant, ne prouocandi poteſtas ad ſummum Appellationum Tribunal, quod Cellae floret, litigantibus adimatur (d).

Nec minus ob excellentiam huius ſummi Tribunalis ſapientisſime ſancitum eſt; *daß die* membra *dieſes Gerichts keine* commisſiones *von anderen Gerichten übernehmen, denenſelben auch von dem Ober*-Appellations-*Gerichte ſelbſt nicht leicht andere* commisſiones *in Sachen, ſo vor ſelbigen rechtshängig, als* ad transigendum, *oder* examinandum teſtes, *oder auch* ad ocularem inſpectionem *in Fällen, da ſolche nöthig, aufgetragen werden* (e).

§. XXXVII.

Quod ſi teſtes examinandi haud remoti ſunt, *werden dieſelbe von einem oder mehreren Ober*-Appellations-*Räthen, welche die Partheyen dazu ausbitten, oder welchen das Gerichte ſolches* committiret, *abgehöret, und von dem* Secretario, *welcher die*

(c) Ord. Trib. Cell. P. II. tit. 1. §. 4.

(d) *Ord. Trib. Cell. c. l.*

(e) *Ord. Trib. Cell. P. I. tit. 2. §. 9.*

die Sache in seiner expedition *hat*, *dar* Protocoll *geführt*. Sin vero testes remoto degant loco, in nostris tamen terris habitent, integrum est producenti Commissarios, dum articulos probatoriales exhibet, nominatim expetere, qui, nisi productus praegnantes dissentiendi adferat rationes, oblatis interrogatoriis specialibus, commissorio confirmantur.

Porro si producens nullos denominauerit Commissarios, hi ex officio, si qualitas testium hoc exposcit, determinantur; immo & productus Commissarios petere potest, qui vel ex officio vel a producto nominari possunt (f). Tandem si testes examinandi extra territorium in peregrinis habitant locis, producens, dum exhibet articulos probatoriales, implorare iubetur iudicem, vt literas mutui compassus, siue subsidiales ad extraneum mittat iudicem (g). Hae literae subsidiales vel Commissiones statim post Diaetam, vti vocant, auocari & intra octiduum debito loco insinuari, nec non citationes absque omni mora exigi & insinuari debent, vt in proxima iuridica rotulus offerri possit, nisi producens in poenam retardatae litis, vel poenam arbitrariam condemnari velit, hac lege atque conditione, *daß die erkandte* Commission *wieder abgethan*, *und*, *ehe und bevor die* dictirte poen *erlegt*, *keine neue* Commission *erkandt wird*. Interim tamen si producens impedimenta demonstrare potest, prorogatio vsque ad iuridicam proximam *biß zum nächsten Gerichts-Tage* ipsi non denegatur, quae prorogatio tantum vnica est, &, si producens tunc rotulum non exhibet, poena desertae probationis decernitur, nisi producens clare demonstret non sibi, sed Commissario moram imputari debere.

§. XXXVIII.

(f) Ordin. Trib. Cell P. II. tit. 8. §. 16. *Magd. Pr. Ordn. c. 4. §. 10.*

(g) *Ordin. Trib. Cell. P. II. tit. 8. §. 2. & 16.*

§. XXXVIII.

Ne vero Commiſſarius teſtium examini remoram iniiciat, ipſi ſub poena iniungitur, vt quam celerrime commiſſionem expediat; extranei vero iudices in literis mutui compaſſus de celerrima expeditione amice monentur (h). Poena negligentis Commiſſarii in *Ord. Iud. Aul.* (i) ita exprimitur: *Und ſo jemand, der Uns verwand und unterworffen*, Commiſſion *und Befehlichs-Briefe Gezeugen zu verhören oder dergleichen zu thun, durch Uns oder Unſere Hoffrichter befohlen, und derſelbige* Commiſſarius *auf Anſuchen der Partheyen ſäumig befunden, ſoll derſelbe zehen Rheiniſche Gulden in Gold, die Helffte dem Hoff-Gerichte, und die andere Helffte der Parthey, verluſtig ſeyn.*

Commiſſarii tamen haud nimis remoti eſſe debent, *ſollen, da immer müglich, aus einem Ort insgeſamt, oder aus 2. oder 3. Meile den Partheyen zu nächſtgelegenen Oertern genommen werden;* immo ipſi commiſſarii vt teſtes examinent neceſſe eſt (k), excepto hoc vnico caſu: *Wenn ein oder mehrere Zeugen, Kranckheit oder andern Unfalls halber an dem beſtimten Orte zur geſetzten Zeit nicht erſcheinen können; So ſoll entweder der* Commiſſarius *ſelbſt, oder der* Secretarius, *welchem das* Protocoll *in dieſer Sache zu führen gebühret, zu ſelben ins Hauß gehen, und ſie beeydigen und abhören; oder auch deren Obrigkeit, daß ſie jemanden zu ihm ſchicken, und ſie ordentlich abhören laſſen, gebührend erſuchen, die dann hierzu forderliche Anſtalt zu machen ſchuldig ſeyn ſoll. Wäre aber ſolche Perſohn auſſer Landes geſeſſen, ſo wird die Obrigkeit, an welche desfalls* Subſidiales *abgelaſſen worden, ſich auf geziemende* Requiſition, *dergleich-*

(h) Ordin. Trib. Cell. P. 1 r. tit. 8. §. 18.
(i) tit 45.
(k) Ordin. Tr. Cell. P. 11. tit. 8. §. 17. & 25.

gleichen Anſtalt zu Beforderung der Iuſtitz *zu machen, nicht weigern* (l).

Tandem & hoc notandum eſt, quod commiſſiones ſumtibus petentis decerni & Commiſſarii vel indefinite vel ſub certa clauſula: *ſamt und ſonders*, vel: *ſamt oder ſonders* dari ſoleant, de quo argumento alibi forſan dicendi erit locus.

§. XXXIX.

Adſeruimus ſupra (§.II.) iurisdictionis vocabulum ſumi vel in ſenſu latiori vel ſtrictiori. De hoc ſignificatu iam ſatis actum fuiſſe putamus. In ſenſu latiori autem iurisdictio omne magiſtratus officium, tum ordinarium, tum extraordinarium complectitur (m). Pertinent huc quoque ea, quae praeter iurisdictionem, ſtricte ſic dictam, magiſtratibus ſpecialiter ſunt commiſſa v. g. tutoris datio, legis actio, cognitio de praediis minorum alienandis, de alimentis teſtamento relictis, & quae ſunt reliqua huius farinae (n). Sed quum haec obſeruatio vnice Rempublicam Romanorum pro fundamento habeat, recte monet STRYKIVS (o) illa, quae olim extraordinariae fuere iurisdictionis, hodie vi iurisdictionis ordinariae magiſtratibus competere, qua de cauſſa huic argumento haud diutius immoramur.

§. XL.

Interim iurisdictio in ſenſu latiori ſumta diuiditur in *contentioſam* & *voluntariam* (p): Illa requirit contradictorem, & inter litigantes exercetur cum cauſſae cognitione; haec inter volentes, immo ſine cauſſae cognitione, ſi mera eſt, explica-

(l) Ordin. Trib. Cell. c.l.

(m) L. 1. de iurisd. L. 7. §. 2. de offic. proconſ.

(n) *L. 7. cit. & L. 6. §. 2. de tutel. L. 2. §. 2. de off. eius cui mand.* Conf. quoque STRUV. *Ex. 4. th. 67.*

(o) *In V. M. §. 21.*

L. 2. pr. de off. proc.

tur, & quidem coram magiſtratu ſubalterno, cui praedicatum iurisdictionis unice competebat, ſiquidem legitimatio per reſcriptum Principis, vel, vt paucis me expediam, omnes actus gratiae, per Principem expediendi, hu creferri non poſſunt, quippe qui ad Dicaſteria, licet iurisdictione, tam contentioſa, quam voluntaria pollent, minime ſpectant (q). Actus voluntariae iurisdictionis, vti vulgo habetur, nudae ſollemnitatis & auctoritatis gratia interueniunt, quum actus contentioſae iurisdictionis iuſtitiae faciendae cauſſa expediantur, adeoque diuerſam plane habeant naturam, nam actus poſterioris generis conſiſtunt in cauſſae cognitione, deciſione & executione; hi vero 1) explicari poſſunt a iudice incompetente, praeſertim quum nullus contradictor adſit, qui exceptionem fori incompetentis poſſit opponere (r), niſi hi actus ita ſint comparati, vt periculum inde immineat iudici competenti, vel aliis hominibus, quale exemplum extat in iure noſtro (s); immo in noſtris terris luculentiſſimum habemus exemplum in alienatione rerum immobilium a iudice rei ſitae confirmanda: 2) Hi actus expediri poſſunt quocunque loco & de plano (t), adeo vt vel in tranſitu ſeruorum manumiſſio, tanquam actus voluntariae iurisdictionis, explicari potuerit, veluti cum Praetor, aut Praeſes, aut Proconſul in balneum, vel in theatrum eant (v) adeoque non expoſcant, vt iudex ſedeat pro tribunali (x); 3) etiam diebus feriatis (y), & 4) in propria cauſſa (z); tan-

(q) MEVIVS *3. D. 149. in not. num. 2.*

(r) *L. 30. C. de donat.*

(s) *L. 16. C. de praed. & al. reb. min.*

(t) *L. 36. de adopt.*

(v) *§. 2. I. de libert.*

(x) *L. 7 de man vind.*

(y) *L. 8 C. de feriis.*

(z) *L. 3. & 4. ff. de adopt. L. 1. ff. de manum vind. L. 2. de offic praeſ.*

tandem 5) apud Romanos extra territorium expediri poterant actus voluntariae iurisdictionis (a), quum tamen extra territorium ius dicenti impune non paretur. (b) Vtrum hodie actus voluntariae iurisdictionis extra territorium valide possint explicari, nec ne, disceptant Doctores; apud Romanos ideo hoc fieri poterat, quod singularum prouinciarum Magistratus subalterni fuerint, & omnes, in vna Republica constituti, Imperatorem, tanquam territorii dominum, agnouerint, quae ratio hodiernis moribus adplicari nequit. Laeditur itaque superioritas territorialis, si quis iudicem, extra territorium Principis constitutum, id est, plane extraneum, accersere vellet, vt in peregrino territorio actum voluntariae iurisdictionis explicaret. *

* Quid vero de testamentorum & donationum insinuatione dicendum? Quam plurimi Doctorum (c) defendunt, eiusmodi actum non requirere iudicis competentiam, sed iudicem extra territorium suum actus voluntariae iurisdictionis exercere posse; alii iterum in aliam pedibus eunt sententiam, inter quos principatum tenent Ill. GEBAVERVS, (d) B. REINHARDT (e), B. CONRADI (f), de COLERVS (g), prouocantes inprimis ad *L. 23. C. de testam.* Sed hu-

ius

(a) *L. 2. π. de offic. Proconf.*

(b) *L 20. π. h. t.*

(c) Ill. LEYSERVS specim. XXIX. medit. 2. Ill. PVFFENDORF de iurisdict germ p 83 HOFFMANN in meletem. ad. π. diss. 3. §. 1. CARPZOVIVS in Processu tit. 2. art. 1. n. 49. & Decisione 193. n. 11. LYNCKERVS Responso 13. n. 15. WERNHER P X obs 316.

(d) In diss. de iurisdict. c 1 § 7.

(e) In diss de iudice, iurisdictionem voluntariam extra territorium perperam exercente.

(f) In diss. de testamento publico, quod fit apud acta §. 6.

(g) De Processibus executiuis P. 2, c. 1. n. 9.

ius ſanctionis quaecunque demum ſint verba, nihiloſecius tamen in praxi teſtamentorum inſinuatio fieri poteſt coram quocunque iudice, cuius rei praecipuam interſerit Ill. LEYSERVS rationem: quod cauſſae cognitionem non requirat, quod fundamentum, niſi me omnia fallunt, ſatis oſtendit, à teſtamentis ad donationum inſinuationem ſaltem argumentum duci non poſſe.

§. XLI.

Interea quum iurisdictio voluntaria vel *mera* vel *mixta* ſit, tibi perſuadeas velim, omnia, quae antecedenti paragrapho de iurisdictione voluntaria dicta ſunt, ad *meram* reſpicere; *mixta* enim voluntaria iurisdictio abſolute requirit cauſſae cognitionem, & proxime ad contentioſam accedit, in eo tamen ab illa differt, quod contradictor non adſit, adeoque actus voluntariae iurisdictionis mixtae citra proceſſus ſollemnitatem expediantur; niſi Magiſtratus ex officio contradictorem conſtituerit, qui exceptiones actui ideo opponat, vt eo melius cauſſae cognitio adhiberi poſſit. Errat itaque LAVTERBACHIVS diſtinctionem huius paragraphi falſitatis accuſans, quod poſterior proxime accedat ad contentioſam iurisdictionem; nam differentia ſpecifica, quam iam iam attulimus, ſatis demonſtrat, iurisdictionem voluntariam mixtam & contentioſam non vnum idemque eſſe.

§. XLII.

Requirit actus voluntariae iurisdictionis mixtae cognitionem cauſſae, ideoque 1) adeundus eſt competens iudex; neque 2) magiſtratus apud ſe, hoc eſt, in cauſſa propria expedire poteſt eiusmodi actum, in qua propter cauſſae cognitionem ſemper ſuſpectus eſt. Vnde VLPIANVS (h) recte ait: *Praetor neque tutorem,*

(h) *In L. 4. de off. Praet.*

torem, *neque specialem iudicem ipse se dare potest*; vel vti idem ICtus (i) hoc clarius exponit: *Consules apud se seruos suos manumittere posse, nulla dubitatio est. Sed si euenerit, vt minor viginti annis Consul sit, apud se manumittere non poterit*, CVM IPSE SIT, QVI EX SENATVS CONSVLTO CONSILII CAVSSAM EXAMINAT: *apud collegam vero, caussa probata, potest.* 3) Eiusmodi actus expediri non potest diebus feriatis, scilicet diuinis; in feriis enim humanis omnino perfici posse expediti iuris est, quum in volentem caussae cognitio & decretum recte interponatur, praesertim si nullus contradictor adsit, qui feriarum exceptionem opponat. Emancipandi tamen & manumittendi licentiam cuncti habent etiam in diebus quindecim paschalibus, & super his acta non prohibentur, licet alias hisce diebus omnes actus, seu publici sunt, seu priuati, conquiescere debeant. (k) Tandem 4) ob eandem rationem actus voluntariae iurisdictionis mixtae extra iudicii locum explicari nequit; cui & hoc 5) addimus, quod hodie iudex nihil valide expedire possit regulariter, nisi adsit iuratus Secretarius vel Actuarius, qui protocollo mandet, quae coram iudice peraguntur, modo exceperis casum, si ipse iudex ad protocollum sit iuratus, vti in Praefectis nostris exemplum habemus.

§. XLIII.

Coeterum actibus voluntariae iurisdictionis mixtae adnumeratur decretum in alienatione rerum minoris interponendum (l), transactio de alimentis testamento relictis (m); tutelae datio (n); vel

(i) *In L. vn. §. 2. ff. de off. consf.*

(k) *L. 8. C. de fer.*

(l) *L. F. C. de praed. minor.*

(m) *L. 8. pr. ff. de transact.*

(n) *L. 4. de off. praet.*

vel confirmatio (o); emancipatio impuberis arrogati (p); vnio prolium, quae iure germanico caussae cognitionem requirit; & denique iure veteri manumissio serui a minore XX. annis perficienda. In omnibus autem hisce actibus per se & regulariter deerat contradictor, nec olim iure romano *proprie* ad iurisdictionem pertinebant, vt vel datio tutelae docet (q).

§. XLIV.

Porro iurisdictio diuiditur in *ordinariam* & *prorogatam*. *Prorogare* in sensu proprio nihil aliud est, *quam in vlterius tempus rogare* (r) i. e. rogando continuare; improprie autem denotat soluere pro alio (s); nec non rogare iudicem, vt iudicis competentis partes in se suscipiat. Ordinaria itaque iurisdictio exercetur a iudice competente, prorogata vero est iurisdictio extensa, & exercetur a iudice incompetente in non subditos. Fieri autem hoc potest vel *consensu partium* vel *legis dispositione*, vnde prorogata iurisdictio est vel *conuentionalis*, vel *legalis*, quae & alias *necessaria*, quemadmodum illa *voluntaria* dicitur.

§. XLV.

Ad iurisdictionem prorogatam conuentionalem requiritur I) Consensus litigantium, id quod Imperator ANTONINVS (t) exemplo Procuratoris Caesaris, qui rei pecuniariae Principis praeerat, illustrat, diserte aiens, quod hic Procurator haud quidem

(o) *L. 4. de test. tut. L. 4. C. eod. L. 1. §. 2. L. 2. L. 7. ff. de confirm. tut.*

(p) *§. 3. I de adopt.*

(q) *Vid. Tit. de Atiliano tutore* & LAVTERBACHII *diss. de voluntaria iurisdictione.*

(r) L. 5. D. de prec.

(s) L. 4. §. 4. de Manum.

(t) *In L. 1. C. h. t.*

dem sit competens in priuatorum lite iudex, possit tamen iudex eligi; &, si consentientibus aduersariis sententiam tulerit, ei acquiescendum esse tanquam rei, *ex consensu partium*, iudicatae.

Consensus autem declaratur vel expresse vel tacite. Illo casu non abscisse requiritur stipulatio, sed sufficit quoque nudum pactum. Quamuis enim ex nudo pacto non detur actio, praetor tamen, aequitate naturali motus, Edicto proposito inde dedit exceptionem, & sic etiam facultatem replicandi, quum replica nihil aliud sit, quam ratio rationis. Immo ipse IVSTINIANVS (v) haec omnia confirmauit, diserte sanciens: *nemini licere aduersus pacta sua venire & contrahentes decipere: Si enim*, pergit legislator, *& ipso Praetoris Edicto, pacta conuenta, quae neque contra leges, neque dolo malo inita sunt, omnimodo obseruanda sunt, quare & in hac caussa pacta non valeant? Omnes itaque iudices nostri hoc in litibus obseruent: & huiusmodi obseruatio & ad pedaneos iudices, & ad compromissarios, & arbitros electos perueniat; scituri, quodsi neglexerint, etiam litem suam facere intelligantur*

Interim verba huius legis adducta: *nemini licere aduersus sua pacta venire*, haud denotant, mutuo consensu hanc prorogationem tolli non posse, siquidem hoc semper licitum est partibus, modo non adierint iudicem incompetentem; postquam enim coram iudice incompetente lis semel inchoata est, huius forum amplius declinari nequit, nequidem mutuo partium consensu, quia iudex incompetens ob praeuentionem fruitur iure quaesito. (x)

§. XLVI.

Tacita voluntas in prorogationem data censetur, quando reus *scienter* litem contestatur coram iudice incompetente, omissa

(v) *In L. pen. C. de pactis.*
(x) L. 18. π. h. t.

sa fori praescriptione. (y) Praescriptio hoc loco nihil aliud denotat, quam exceptionem, olim enim exceptiones praescribebantur, vnde exceptio non raro in iure nostro dicitur praescriptio, cuius rei in iure nostro (z) luculentissimum habemus exemplum.

Sed in viam e diuerticulo vt redeamus, probe notandum est, hodienum (*) quoque locum habere non solum prorogationem iurisdictionis expressam, quippe quae in contractibus, quando contrahentes renunciant exceptioni fori incompetentis, vt plurimum occurrit; sed & prorogationem tacito consensu fieri posse, quum secundum Imperii Recessum nouissimum omnes dilatoriae exceptiones, qualis etiam est fori incompetentis, statim in primo termino opponi debeant; ex quo legitime consequitur, vt termino primo peracto, nedum lite iam contestata, huic exceptioni renunciatum fuisse censeatur, adeoque iurisdictio iudicis alias incompetentis absolute fundata sit. Merito tamen exceptio: *nisi error probetur*, huic regulae addenda erit; siquidem teste VLPIANO (a) Iulianus scribit: quod non consentiant, qui errent. Et quid tam contrarium est consensui, quam error, qui imperitiam detegit? Interim quum error, obstante euidentia facti, nunquam praesumatur, recte error ab allegante erit probandus. Haec probatio erit necessaria, si principalis ipse, nec per mandatarium egerit; si enim mandatarius per ignorantiam omiserit fori exceptionem, neque mandato est instructus, vt coram iudice incompetente principalem defendat; error in aprico est, ne dicam, quod principalis vltra fines mandati haud obligetur.

* Prorogationem voluntariam omnino licitam esse, praeter alios affirmat Perill. Canc. BOEHMERVS (f); negant tamen

(z) L. 5. C. fin. reg.

(a) In L. 15. h. t.

(b) Lib. 2, tit. 2. §. 41. Iuris eccl. protest.

men THOMASIVS (c) & Ill. GEBAVERVS (p) secundum iuris domestici principia, quorum posterior ICtus nonnulla ciuitatum, quae huc spectant, statuta in medium protulit. Interim ad vnum fere omnes largiuntur (e): prorogationi voluntariae inter subditos diuersorum Principum locum non esse.

§. XLVII.

Ad conuentionalem prorogationem II) requiritur, vt litigantes de rebus suis disponendi liberum habeant arbitrium; ergo pupilli, prodigi, minores absque curatorum consensu, serui &c. in prorogationem consentire nequeunt (f).

III) Ex parte eius, in quem prorogatur, necesse est, vt iurisdictione jam sit praeditus; priuatorum enim consensus iudicem non facit eum, qui nulli praeest iudicio: nec, quod is statuit, rei iudicatae continet auctoritatem (g); immo prorogare, vti supra (§. XXXVI.) dictum, haud significat iurisdictionis concessionem, sed iudicis iam constituti voluntariam electionem, nemo enim, nisi summa potestate praeditus sit, iurisdictionem tribuere potest. Ex quo facile colligitur, quod

IV) in eiusmodi iudicem tantum fieri posse prorogationem, ad quem caussa prorogata spectat, in quo prorogati iudicis & com-

(c) In not. ad Pandect. p. 42.

(d) In diss. cit. c. 2. §. 7.

(e) Conf. SCHILTER Exercit. VI. §. 23. BEIER in diss. de iurisdict. in competentis iudicis in subditos per prorogationem fundata Sect. I. §. 15.

(f) HVBERVS h. t. §. 9.

(g) L. 3. C. h. t.

compromissarii differentia consistit specifica, ille enim, non hic pro imperio constituit, mixtumqne exercet imperium; sic caussa mere ecclesiastica in iudicem secularem prorogari nequit, vel, vt exemplo VLPIANI (h) vtar, Latrunculator, qui ad latrones inquirendos erat constitutus, in caussis pecuniariis iudicare non potest, ergo etiam in eum prorogari nequit (i).

§. XLVIII.

Idem dicendum esse de Vasallo, facile concedo, qui caussas feudales ob eandem rationem extraneo iudici committere prohibetur (k). Falsum tamen esse asserit Perill. BOEHMERVS c. l., clericis generaliter prohibitum esse iurisdictionem prorogare, praesertim quum IVSTINIANVS (l) clare disponat: *Si quis in conscribendo instrumento sese confessus fuerit non vsurum, fori praescriptione propter sacerdotii praerogatiuam: sancimus, non licere ei aduersus sua pacta venire, & contrahentes decipere: cum regula sit iuris antiqui*, omnes licentiam habere his, quae pro se indulta sunt, renunciare. *Quam generalem legem in omnibus casibus* (qui prorogari nempe possunt) *obtinere sancimus, qui nec dum per iudicialem sententiam vel amicabilem compositionem sopiti sunt.* Neque hanc dispositionem vllibi in iure nostro iterum abrogatam esse. Immo rationem dissentientium, quod prinilegio, vniuerso ordini clericali dato, nemo indiniduus renunciare possit, aperte pugnare cum adductae legis dispositione, & praeterea notabili instantia infringi posse, nam Sctum Velleianum haud indiniduo sed vniuerso, sexui sequiori indultum est, & nihilo secius hanc vel illam mulierem

(h) In L. 61. §. 1. de iudic.
(i) DONELLVS & *ibi Hill lit. V. lib. 17 c 9.*
(k) SCHRADER de Feud. P. 10. Sect. I. num. 136.
(l) In L. 51. C. de Episc. & cler.

rem huic beneficio renunciare posse, quotidianam praxin docere. Neque ius canonicum (m) generalem legem prohibitivam exhibere, siquidem totus contextus aperte doceat, hoc capitulum vnice intelligendum esse de totali & vniuersali fori ecclesiastici mutatione, quae sane iuris publici esset euersio. Porro ex mente huius ICti non obstat dissentientium ratio, domino iurisdictionis patrimonialis, vel alii iudici, iurisdictionis exercitium & sportularum emolumentum adimi; recte enim monere STRYKIVM (n) iurisdictionis patrimonialis dominum, vel in genere iudicem, in personam prorogantis illibatam retinere iurisdictionem, quamuis in aliqua caussa alium sibi iudicem elegerit, & sportulas iudicem petere posse propter laborem in cognoscenda & iudicanda caussa obeundum, cessante vero labore, cessare quoque debere sportulas, tanquam molestiae compensationem.

§. XLIX.

Prorogatio *necessaria*, quae sequitur, fit ex legis dispositione in reconuentione; cuius enim iudicis in agendo obseruat arbitrium, eum habere & contra se iudicem in eodem negotio non dedignetur, adeo vt liceat iudici vel contra actorem sententiam & aliquid ei daturum vel facturum pronunciare: nulla ei opponenda exceptione, quod non competens iudex agentis esse cognoscatur. (o) Est itaque *Reconuentio, die Nachklage oder Wiederklage, actio instituta a reo conuento coram eodem iudice.* Praesupponitur tamen, actorem per exceptio-

(m) *In cap 12. X. de foro compet.*

(n) *In V. M. b. t §. 22.*

(o) *L 14. C. de sentent. & interloc.*

ceptiones declinatorias a fori limine non esse depulsum, alias enim cessante conuentione, cessat quoque reconuentio. (p)

§. L.

Hanc prorogationis speciem ex legis dispositione omnino flui, veritati consentaneum est, licet HAHNIVS (q) in ea sit opinione, omnem prorogationem esse conuentionalem, nempe ex consensu priuatorum lege confirmato; & hanc ob caussam de *prorogatione necessaria* ita scribit: *Quando actor aliquem coram Magistratu conuenit, tum is tacite consentit in eundem quoad reconuentionem, vt forum propterea ex contractu fundatum censeatur. Et ideo fundamentum reconuentionis non in eo est, quod lege ita disponente, censeatur eidem se foro subiicere actor, sed caussa est* TACITVS *ille &* QVASI CONTRACTVS. *Neque vero rectius prorogationem hanc necessariam vocat Maranta; quia actor in reconuentionem volens consentit; Ergo necessaria non est, & quid prohiberet alias eadem ratione necessariam vocare, quae sit primo modo? quam tamen ipse Bachovius vltro fatetur esse conuentionalem.* Prouocat imprimis HAHNIVS ad L. 14. *C. de sent. & interloc. cum Auth. seq. Et consequenter;* Verum enim vero hae leges magis nostrae sententiae, quam Hahnii adductae opinioni subscribunt, siquidem in Lege cit. aperte dicitur, hanc prorogationem habere locum, *licet actor exceptionem fori incompetentis opponat*, quae sanctio aperte docet, non tam ex *tacito consensu*, quam ex *legis dispositione* citra voluntatem actoris reconuentionem proficisci, id quod eo magis dicendum, quum actor illam reconuentionem etiam quoad hodiernam praxin declinare nullo modo possit, nisi conuentionem deserere velit. Immo probe notandum est, quod Hahnius

(p) STRYK *de reconuentione c. 3. §. 6.*
(q) Ad Wesenb. tit. de iurisdict. n. 8.

nius rotunda quadratis miscendo tacitum consensum & quasi contractum confundat, quum tamen quasi contractus praesumtionem, ex aequitate naturali deductam, adeoque consensum fictum, tacitus vero consensus factum aliquod concludens, ex quo inducitur verus consensus, pro fundamento habeat.

§. LI.

Secundum principia iuris romani duplicem reconuentio habet effectum 1) *prorogationis*, & 2) *simultanei processus*, i. e. vt reconuentio coram iudice, qui in caussa conuentionis cognoscit, & alioquin iudex actoris incompetens est, vno eodemque processu & actorum volumine, vna cum conuentione tractari possit. Reo tamen semper integrum est, vtrum debitum ab actore per modum reconuentionis in eodem foro petere, an separato processu actionem desuper instituere velit, id quod nemo in dubium vocabit, nisi a reo id animo calumniandi fieri certum est.

§. LII.

Sed vt coniunctim hunc duplicem effectum habeat reconventio.

I) Requiritur, vt caussa in hunc iudicem sit prorogabilis. Hoc inde cognoscitur, si iudex de illa caussa cognoscere possit per modum conuentionis; BRVNNEMANN. (r) Sic v. g. si quis actorem in caussa ciuili, nempe ex locato conducto, emto vendito &c. agentem vellet in caussa feudali reconuenire, nihil aget, si iudex alias in caussa feudali cognoscere non potest. Aliud exemplum occurrit in iure nostro (s), vbi iudex iurisdictionem

(r) Ad. L. 11. h. t. n. 4.

(s) L. 11. h. t.

nem ad certam tantum quantitatem habens, de maiori summa in reconuentione iudicare non posse dicitur.

Ceterum si actor de maiori quantitate egit, reus vero de minori alibi agere intendat, vt per calumniam actor duplici processu fatigetur, merito hoc reprobatur (t) quum apud eundem iudicem vtraque caussa commode decidi possit.

§. LIII.

Praeterea ad duplicem reconuentionis effectum II) requiritur, vt actor proprio, non alieno, nomine agat. Sic, qui tutorio vel curatorio nomine agit, reconueniri nequit de proprio debito (v), quoniam non ex libero arbitrio; sed necessitate officii agit (x). Idem, ob adductam rationem, dicendum est de procuratore in rem alienam, nam procurator in rem suam, qualis est cessionarius, omnino reconueniri potest, quippe qui magis pro principali, quam procuratore habendus.

§. LIV.

III) Desideratur vt caussa conuentionis moram admittat, in caussis enim moram non ferentibus, non aliter reconuentio simultanei processus habet effectum, quam si caussa eius aeque fuerit celerrimae expeditionis. Sic v. g. actio de mortuo inferendo, vel de damno ex diruptione aggeris metuendo reconventionem ex capite locati conducti, debiti &c. non admittit, ne, quum celerrima expeditio sufflamine retardatur, cadauer putredine immarcescat, vel, aggere interea dirupto, damnum saepius irreparabile contrahatur.

§. LV.

(t) *In L. cit. §. 1.*

(v) CARPZOV *P. 1. C. 7. def. 6.*

(x) BERLICH *P. 1. concl. 22. n. 13. & 23.*

§. LV.

IV) Reconuentio effectum simultanei processus non admittit, si reconuentionis caput ex conuentionis decisione pendet, quod imprimis contingere potest, si reconuentio ex ipsa principali oritur actione, quae prius itaque decisionem expetit. Exemplum huius rei extat in Codice nostro (y) vbi Imperatores DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS rescripserunt: Paulum, cuius auiam Zenodorus infamandi caussa dixerat esse ancillam ciuitatis Commanensium, de iniuria agere non posse, pendente illa lite principali, immo tunc demum reconuentionem instituí posse propter iniuriam, si Pauli auia pronuncietur ingenua vel libera. Sic reconuentio quidem, ob iniuriam sponsae propter repudium illatam, competit quidem sponsae, sed tantum quoad effectum prorogationis, non simultanei processus, si enim sponsae perfidia in conuentione probatur, non est quod de iniuria conqueratur, adeoque ipsa reconuentio intercidit.

§. LVI.

V) Requiritur, ne caussa conuentionis sit priuilegiata; pertinet huc, si conuentionis argumentum se fundat in instrumento guarentigiato, *wenn auf klare Brieffe und Siegel geklagt wird*, nisi reconuentio eiusdem sit naturae, vel alias in continenti probari possit reconuentionis caput, quo casu reconuentio tum effectum prorogationis, tum simultanei processus producit; licet non negem, quod reo magis consultum sit, intentionem actoris opposita exceptione elidere (z).

§. LVII.

(y) L. 10. C. de iniur.

(z) MYNSINGER c. 1. obs. 10.

G

§. LVII.

VI) Idem dicendum de actione ſpolii, quae, ſi reus depoſitionem haud negat, itidem ſimultanei proceſſus effectum reconuentioni denegat, niſi reus reconueniendo agat de ſpolio, ab actore non in re eadem, ſed diuerſa, commiſſo. Tunc enim aequalitas fauoris effectum prorogationis & *ſimultanei proceſſus* in reconuentione producit, quia priuilegiatus contra aeque priuilegiatum ſuo priuilegio non vtitur (a) Porro

VII) ad cauſſam priuilegiatam pertinet actio depoſiti; quum enim haec (b) nullas admittat exceptiones, facile intelligitur, & reconuentionem hic quoad effectum ſimultanei proceſſus ceſſare (c).

§. LVIII.

VIII) Requiritur, vt ante litis conteſtationem inſtituatur reconuentio vel in primo termino immediate litis conteſtationi annectatur, quia per rerum naturam hoc caſu prius moueri non potuit; hoc ni factum fuerit, tantum habet effectum prorogationis, non ſimultanei proceſſus; quam ſententiam communem eſſe teſtatur BRVNNEMANN (d). Et quidem

IX) fieri debet in prima inſtantia, caput litis enim, quod per appellationem in ſuperius iudicium non eſt deductum, merito ad iudicem primae inſtantiae remittitur, alioquin beneficium primae inſtantiae tolleretur, quod nullibi prouiſum eſt. Interim haec omnia intelligenda ſunt de eo caſu, ſi a ſententia de-

(a) STRYKIVS *in diſſ. ad L. 14. C. de Sentent. & interloc. V. 2. diſſ. 16 c. 4. § 3.*

(b) *per L 11 C. & L. fin C. de compenſat.*

(c) MENCKE *ad ordin. Proc. Saxon. T 6. §. 4.* STRYKIVS *c. l. §. 2.*

(d) *ad proc. cit. c. 10. n. 78.*

finitiua appellatum fuerit, appellatio enim, quae fit a ſimplici interlocutoria, viam ad reconuentionem perueniendi reo non praecludit, ita tamen, vt reconuentio tantum prorogationis habeat effectum (e). Idem quoque dicendum eſt de appellatione extraiudiciali, quae magis prouocatio ad cauſſam, quam appellatio eſt. (f). Tandem

X) requiritur, vt conuentio inſtituta ſit coram iudice ordinario, cui & iudex delegatus ſiue commiſſarius adnumeratur (g), modo commiſſarius datus ſit ad inſtantiam reconuenti, i. e. actoris, ad quem tantum adplicari poteſt ratio, quae habetur in iure (h) nempe: *Cuius quis in agendo obſeruat arbitrium, eum habere & contra ſe iudicem in eodem negotio non dedignetur.* Secus itaque eſt in eo, qui a Principe proprio motu conſtitutus eſt Commiſſarius, quippe quem actor ſiue reconventus non elegerit (i). Coram arbitris tamen reconuentio inſtitui non poteſt, quum hi iudicare non poſſint, niſi de his tantum, ſuper quibus in eos extiterit compromiſſum (k). Fallit autem haec propoſitio in arbitro iuris, quia is habet iurisdictionem ordinariam a lege conceſſam (l). Reiicienda itaque eſt reconuentio *in totum*, ſi defectus requiſiti primi, ſecundi, noui, & decimi occurrat, in reliquis enim reconuentio prorogationis effectum omnino ſortitur.

§. LIX

(e) Conf. Ill. BOEHMERVS *in I. E. P. l. 2. tit. 4. §. 4.* qui reſponſo quodam hanc theſin illuſtrauit.

(f) Ill. *Boehm. c. l. §. 3.*

(g) *c. 1. X de mutuis petit. c. 3. de reſcript. in 6.*

(h) *L. 14. C. de ſent. & interloc.* nec non in *c. 3. C 3. q. 8.*

(i) BERGER *in Elect. diſcept. forenſ. tit. 6. obſ. 1. not. 4. p. 196* GONZALEZ *ad c. 1. de mut. petit. n. 10.*

(k) *c 6 X de arbitris.*

(l) BERLICH *P. 1. concl. 22. n. 44.*

§. LIX.

Quod si reconuentio destituitur effectu simultanei processus, praestanda est cautio ab actore extraneo, quia absque hoc vinculo nullum aliud cogendi medium iudex non habet respectu eius, qui alieno foro subest. Vnde superuacua est cautio, si actor iudici conuentionis est subiectus. Non raro tamen calumniandi animo cautionis praestatio pro reconuentione ab actore petitur, cui malo optimum remedium adhiberi potest, si ordinationes prouinciales non aliter hanc cautionem irrogandam esse iubent, quam si reus caput reconuentionis allegauerit, quo iudex perspicere possit, vtrum reconuentio fundata sit, nec ne (m). Legitur haec sanctio vtilissima apud nos (n): *Wer dann oberwehntermassen mit der* reconuention *dräuet, und desfalß* caution *auch haben will, derselbe soll alsofort andeuten, aus was Ursachen und Grund-Rechtens er dieselben anzustellen vermeyne, damit so fort zu erkennen, ob auch solches* Puncts *halber mit fug die* caution *gefordert werde.* In Saxonia ordinarie haec cautio exigitur, quia reconuentio, quae tantum in caussis connexis, i. e. quae ab inuicem dependent, locum habet, admittitur finita conuentione, per realem solutionem aliamque satisfactionem, *durch würckliche völlige Zahlung, unlaeugbahre* compensation, *oder andern* satisfaction (o). Respuit itaque, secundum hanc Saxoniae legem, reconuentio effectum simultanei processus (p). Verum hodie in Saxonia Electorali vna cum conuentione simul & pari passu reconuentionem ambulare, immo pro re nata anticipari posse, nos edocet *Ordin. Proc. Sax.*

(m) MEVIVS *P. III. decis. 12.*

(n) *In Ordin Canc. Cal. tit. 13. § 4.*

(o) Land R. *lib. 3. art. 12 O. P. S.*

(p) CARPZOVIVS *P. I. Const. 7 def 8.*

Sax. Rec. (q). Ne vero confusiones inde oriantur, simul sancitum est, vt vtraque diuerso processu separatisque actis, licet coram eodem iudice excutiatur, nec reconuentio processui conuentionis, executioni, vel rigori cambiali impedimentum creet

Tandem si caussae non sunt connexae, omnis reconuentio, aeque ac in caussis iniuriarum mutuarum, cessat (r). De caussis non connexis ita scribit CARPZOVIVS (s): *Alia vero est ratio actionum, ex caussis plane diuersis & separatis, nihilque commune habentibus descendentium, quae in foro etiam Saxonico simul & conjunctim in iudicio proponi & agitari possunt, ita vt vna alteram non impediat, nec processus praetextu alterius suspendatur. Ergo si ego equum abs te ex vendito, tu vinum ex mutuo a me petas: vtraque actio simul, ab initio intentari & expediri poterit, ita vt minime processus vnius ab altera impediatur. Attamen non iure reconuentionis, sed in modum conuentionis actiones hae separatae tractantur. Ex quo fit, quod vtraque coram iudice Rei competente, siue iu vno eodemque, siue in diuersis iudiciis expediri debeat.* Haec verba: *quod vtraque coram iudice Rei competente expediri debeat*; apertam, ni fallor, inuoluunt contradictionem, siquidem hac ratione omnino nascitur reconuentio, quae tamen in caussis haud connexis denegatur. Adeoque ex mea sententia haec propositio expungenda erit. Magis tamen vera sunt, quae sequuntur, verba: *Cessante enim reconuentione, cessat quoque reconuentionis effectus; qui in eo consistit, vt actor reconuentus in eodem iudicio non,*

(q) tit. 6. §. 1.
(r) *Ordin. Proc. Sax. Rec. tit. 6. §. 1.*
(s) *c. l. def. 10.*

non queat vti exceptione incompetentiae, aut ius domicilii allegare.

In foro Guelpherbytano itidem reconuentio ſimultaneum proceſſum expetit (t). Idem diſpoſitum legimus *in Ord. Cur. Prov. Brem.* (v), quae diſertis verbis prouocat ad ius commune, ſimulque modum ſimultanei proceſſus declarat.

Interim ex verbis: *die* cauſſa liquida *nicht verzögert* &c. ſatis apparet, quod reconuentio, ſi vna cauſſa altioris eſt indaginis, non in totum ſit ſublata, ſed tantum iudici praeſcriptum, vt cauſſae liquidae remoram non iniiciat, id quod ſit, ſi con- & reconuentio vno eodemque actorum volumine tractatur; quae obſeruatio declarat, reconuentionem, adhuc pendente conuentione, ſeparatis tamen actis inſtitui poſſe, quia hoc modo cauſſa liquida, in conuentionem deducta, non retardatur (x). Ciuitatis tamen Bremenſis ſtatuta (y) omnem reconuentionem, poſt finitam conuentionem, reiiciunt, excepto vnico compenſationis caſu, qui & ſimultaneum proceſſum admittit, quamquam hoc magis de compenſationis exceptione, quam de reconuentione, proprie ſic dicta, intelligendum eſſe reor (z). In Comitatu Schaumburgico tantum cauſſae connexae admittunt reconuentionem quoad duplicem effectum, in cauſſis vero ſeparatis, quia exceptio firmat regulam, in iure communi fundatam, ſolummodo effectus prorogationis locum habet (a).

§. LX.

(t) *Ordin. Cur. Prov. Guelph. tit. 37 § 1.*
(v) *P. II tit 9. §. 1.*
(x) Dm. PVFFENDORFF *in proc. civ. c. 16. § 9.*
(y) *T. 2 art. 23.*
(z) *Propter art. 25 c. l.*
(a) *Ordin. Cur. prov. Schaumb. P. II. tit. 9. §. 1.*

§. LX.

Quod ad praxin nostrarum terrarum attinet, ordinationes Summi Tribunalis Cellensis, & reliquorum Dicasteriorum haud pari passu ambulant, quas paucis rimari liceat. In foro Cellensi & Calenbergico, nec non in iudiciis inferioribus, quae in subsidium, si nihil habetur *in der Untergerichts-Ordnung*, ordinationem Cancellariae Calenbergensis & Curiae prouincialis agnoscere debent, reconuentio tam effectum prorogationis, quam simultanei processus, etiam in caussis non connexis & a se inuicem diuersis, admittit; ita enim (b) disertis legitur verbis: *Es seyn gleich dieselbige (Sachen welche in der* Reconuention *vorgetragen werden) der* conuention *anhängig oder nicht, sondern gar fremde Geschichte und Händel betreffend - - sollen sie doch neben der Hauptklage verhandelt - - werden*; hac tamen lege atque conditione, vt ante vel immediate post litis contestationem reconuentio instituatur; quod si reconueniens agat post litis contestationem, *so soll zwarten der klagende Theil beklagten auch darauf zu antworten gehalten, die* conuention *Sache aber dadurch in ihren Lauff nicht gehindert werden.* Quae posteriora verba nihil aliud indicant, quam vt reconuentio tractanda sit separato processu. Ceterum si caussa reconuentionis a conuentionis decisione dependet, *so soll der* Reconvent *bis zur Kriegesbefestigung, und daß dieselbe würcklichen ergebe, bey noch Ansiehung der Haupt-Sache zu antworten schuldig seyn.* Idem dispositum fere est in *ordinat. Cancell. Calenb.* (n), nisi quod reconuentio institui possit, *ehe man* ad punctum probatorium *in der* conuention *geschritten.* Immo simultaneus processus locum quoque habet quamquam caussae non

(b) in *Ordin. Cur. prou. Calenb. tit. 34. § 1.*

(c) *tit. 15.*

non ſint connexae, id quod non ſolum praxis quotidiana docet, ſed & ex eo intelligitur, quod ordinatio iſta prouocet ad iuris communis placita.

Si poſt aditam probationem reconuentio in iudicium deducitur; *ſo ſoll zwar der erſte Kläger darauf gleichfalß zu antworten angehalten, gleichwohl die* conuention *Sache dadurch in ihrem Lauff nicht gehindert, ſondern jene in abſonderlichen* Acten *aufgeführet werden* (d). In proceſſu exſequutiuo nulla admittitur reconuentio, niſi cum conuentione vnis eiusdemque ſit generis, *daß ſie ebenfalß auf ſo klaren Brieff und Siegeln beruhe*, quo caſu reconuentio effectu prorogationis & ſimultanei proceſſus non deſtituitur (e). Reconuentionis tandem cauſſa, quae a conuentionis deciſione dependet, ſecundum iuris communis placita judicatur (f). Haec omnia, quae jubente *ordinat. Cancell. & Cur. Prou. Calenb.* dicta ſunt, obſeruantur quoque a *Summo Trib. Cell.* in eiusmodi cauſſis, quae ad hoc ſuperius Tribunal per modum appellationis ſunt deuolutae, ita vt reconuentio in inferiori iudicio, etiam in cauſſis non connexis ſed longe diuerſis, iam inſtituta & ſimultaneo proceſſu in vno eodemque actorum volumine agitata, haud mutet naturam (g). Verum enim vero ſi in prima inſtantia controuerſia diſcutienda eſt coram Summo Trib. Cell., tunc reconuentio gaudet ſimultaneo proceſſu, *wenn dieſelbe mit der* conuentions-*Sache ſolche* connexität, *oder beyde Sachen von einander ſolche* dependentz *haben, daß ſie nicht wohl* ſepariret *werden können, und wenn beyde Sachen von gleicher Bewandniß und ſo beſchaffen,*

daß

(d) c. I. §. 2.
(e) c. I. §. 3.
(f) *c. I.* §. 4.
(g) *Ord. Trib. Cell. P. II. Tit. 5. §. 1.*

daß sie beyde simultaneo processu *können entschieden werden* (*b*). At si caussae non sunt connexae, vel si vna pro fundamento habeat liquida documenta, altera vero altioris sit indaginis, *so soll* in puncto con- & reconuentionis separatim *gehandelt*, *in jeder Sache absonderliche* decreta *gegeben*, *und was in jeden Punct vorkomt*, *ein apartes* volumen actorum *gemacht*, *und jede Sache durch eine besondere Urthel entschieden werden*, *beyde* acten *aber zusammen bleiben* (*i*).

§. LXI.

Libellus reconuentionis eadem, quae conuentionis libellus, habet capita, nisi quod occasionem, quae reconuentionem produxit, enarrare soleamus; nec minus reconuento *dem Wiederbeklagten oder Nachbeklagten* tam dilatoriae quam peremtoriae exceptiones competunt, id quod nemo vnquam negauerit. Praeterea reconuentio institui debet aute vel immediate post litis contestationem, litis contestatio autem juxta Recessum Imperii nouissimum, & plerasque ordinationes processuales, annecti debet exceptionibus. Si reconuentio tractatur separato processu, vel saltem in separato actorum volumine, formula sententiae coincidit cum formula conuentionis, nisi quod adhibenda sint verba: *Wiederkl. und wiederbekl.* Ceterum supra (§. LVI. sub requis. V.) monnimus, reo magis consultum esse, reconuentionis argumentum per modum exceptionis opponere, quam reconueniendo agere, id quod imprimis ratione probationis veritati consentaneum est. Si enim reconueniens suam reconuentionem per modum exceptionis opposuerit, & postea probationem deseruerit, *wenn er sich an dem Beweise versäumet*, hoc non obstante, post finitam conuen-

(*b*) *l. c.* §. 2.
(*i*) *c. l.* § 12. *in fin.*

uentionem, reconuentione vti poteſt; quia probationis *deſertio* excludit quidem *opponendi modum*, non tamen ius ipſum, *alia ratione* vrgendum (*k*). Quod ſi vero in probatione *defecerit, wenn er nicht erwieſen, was ihm zu erweiſen gebühret*, tunc res iudicata non permittit reconuentionem poſtea inſtituere; quia exceptio ſemel reiecta denuo vrgeri nequit (*l*). Tandem & hoc obſerues velim, quod reconuentio, licet actor conuentioni vel ante vel poſt litis conteſtationem nuntium mittat, vel ob deſertam probationem a limine iudicii repellatur, continuari poſſit, ob ius quaeſitum reconuentionis, quod reconuenienti hac ratione adimi nequit (*m*).

§. LXII.

Sufficiant haec, quae de prorogatae iurisdictionis natura attulimus, ſi modo tribus verbis coronidis loco addiderimus, prorogatam iurisdictionem in eo differre a mandata, quod 1) prorogatio magis fiat a litigantibus, mandata vero a magiſtratus facto pendeat; 2) quod partes litigantes conſentire non debeant in mandatum iudicis, vti in prorogatione voluntaria fieri ſolet; 3) quod mandata exerceatur in ſubditos, prorogata vero in non ſubditos, adeoque in mandata iurisdictione non pereat competentia, vti in prorogatione.

§. LXIII.

A iurisdictione magnopere differt *imperium* (§. III.) quod nihil aliud eſt, quam poteſtas armata. Diuiditur hoc in imperium *merum* & *mixtum*. De mixto iam ſupra (§. XVII.) diximus, & conſiſtit in modica coërcitione, quae iurisdictioni cohae-

(*k*) BERLICH *P. 2. D. 171.*

(*l*) *L. 7. §. 1. de compenſat. L. 1. § 4. de contr. tut. & utili act.*

(*m*) GRIEBNER *in princip. proc. iudic. L. 1. C. 7. S. 5 §. 3* BERGER *Elect. pag. 195. not. 5.*

cohaeret, vel, vti VLPIANVS (*n*) ait, eſt: imperium cui iurisdictio ineſt, vel: cui iurisdictio eſt *admixta*. Quia vero vindicandi crimina poteſtas iurisdictioni non cohaeret, vel, huic poteſtati nulla iurisdictio *admixta* eſt, recte vocatur *imperium merum*, adeoque in ſenſu vulgari haec vocabula ſunt accipienda, quo *merum* opponitur *mixto* (*o*); vnde *mixtum imperium* in iure noſtro (*p*) ſcite vocatur *imperium non merum*. Imperium merum VLPIANO (*q*) dicitur *poteſtas gladii, ad animaduertendum facinoroſos homines*, quia a potiori fit denominatio, quum poena ſecuris eſſet grauior & ignominioſior poena gladii (*r*). Hinc Caracalla in Papiniani percuſſorem, *gladio*, inquit, *exſequi te oportuit meum iuſſum* (*s*). Vel quia ius gladii erat ſignum meri imperii, quod populus romanus ſibi reſeruauerat, tanquam ſummum imperium & ius maieſtaticum, adeoque nemini proprio iure, i. e. iure magiſtratus competebat, quum tanquam populi reſeruatum ad ordinariam Magiſtratus poteſtatem pertinere non poſſet, ſed extra ordinem, ſpeciali lege, concederetur; adeo vt hic, cui conceſſum erat imperium merum, nihil proprii haberet, ſed vice ſummae poteſtatis extraordinariam poteſtatem gerere videretur. Vnde populus romanus omnia per imperium ſe facere contendebat, ſalſe perſpiciens iurisdictionis notionem re vera ſubiectionem quandam, inuoluere (§. VIII.). Quum vero merum imperium ſpeciali lege concedatur (*t*); ſequitur,

(*n*) In *L. 3. h. t.*

(*o*) HVBERVS *diſſ. iurid. I. t. 4.*

(*p*) *L. fin. ff. de off. ei. cui mand. eſt iurisd.*

(*q*) In *L. 3. de iurisd.*

(*r*) *L. 8. §. 1. de poen.*

(*s*) SPARTIANVS *in Caracalla.*

(*t*) *L. 1 §. 1. de off. eius cui mand. eſt iurisd.*

vt is, qui poteſtatem gladii exercet, iurisdictionem quidem, i. e imperium mixtum, non vero imperium merum tertio mandare poſſit, quia in concedenda hac ſumma poteſtate populus abſciſſe elegerat perſonae induſtriam. Porro quum merum imperium conſiſtat in iure gladii, facile intelligitur, quod is, qui merum imperium eſt conſequutus, pro grauitate delicti animaduertere poſſit in facinoroſos homines, tum adimendo vitam ciuilem & naturalem, tum irrogando poenam leuiorem (*v*), niſi haec poteſtas legibus circumſcripta fuerit. Vnde merum imperium eſt vel *plenum*, vel *minus plenum*, illud in omnia, hoc in quaedam delicta exercetur.

§. LXIV.

De poenarum gradibus differit ICtus CALLISTRATVS (*x*) & tres gradus criminis vindicandi efformat (*y*), quamuis alias multiplicia ſint poenarum genera (z), immo & hodienum noua inueniri poſſint. Haud parum prudenter itaque agunt, qui, ſi quaeſtio oritur, vtrum aliquid ad poenarum claſſem referendum ſit, nec ne? inconſiderate prouocant ad leges romanas, & illud coërcitionis genus, cuius in legibus romanis nulla ſit mentio, ſtatim ex poenarum claſſe eximunt; exemplo eſſe poterit quaeſtio: an palinodia poenae genus ſit? quod omnino ſecundum Germaniae mores aſſerendum. Idem dicendum eſt de poena laquei, quamuis ſuo modo (*a*) ſit prohibita.

§. LXV.

(*v*) *L. 28. π. de poen.*

(*x*) In *L. 28. pr. π. de poen.*

(*y*) STRVVIVS *Ex. 4. th 76.*

(*z*) *L. 6. in fin. L. 7. & 8. π. de poen.* IOH. SAM. FR. BOEHMER *in elem. iurispr. crim. S. II. c. 1.*

(*a*) *In L. 8. §. 1. de poen.*

§. LXV.

Haec de forma iurisdictionis romanae, a qua hodierna iurisdictionum facies magnopere differt (*b*); sicuti in genere ius publicum Romanorum & Germanorum diuersum est, a qua differentia totius regiminis diuersitas, & sic limites vtriusque iurisdictionis pendent. Et in eo statim maximum sese exserit discrimen, quod apud Germanos primarius iurisdictionis scopus fuerit criminum coërcitio, ita vt potestas iudicandi de priuatorum controuersiis pro accessoria iudiciorum parte habita fuerit, id quod THOMASIVS (*c*), adstipulantibus Germanorum legibus antiquissimis, a Lindenbrogio publicatis, & Regum Francorum Capitularibus, scite asserit. Immo & haec in oculos statim occurrit differentia, quod secundum mores Germaniae detur iurisdictio patrimonialis, Romanis nunquam cognita, vt reliqua, quae circa hoc argumentum occurrunt, silentio inuoluam. Pessimi itaque sunt interpretes, qui, ius patrium conculcantes, formam romanarum iurisdictionum, coeco impetu, nostris moribus in genere adplicare student; quum potius dicendum sit, quod leges romanae in subsidium & ex recepto valeant, & a nostris foris, quatenus peculiarem Reipublicae Romanae statum respiciunt, prorsus alienae sint. Hisce praestructis, facile intelligitur, definitionem hodiernae iurisdictionis a romana longe esse diuersam, siquidem apud nos iurisdictio est: *potestas publica virtute Magistratus statuendi de caussis contentiosis, voluntariis, & criminalibus, cum reliquo iure Magistratus.* Reliquum ius Magistratuum generaliter in eo consistit, vt pax publica conseruetur, & actus subditorum ita moderentur, ne vaga prosiliat fraenis natura remotis. Pertinet huc inter alia exactio

(*b*) MEVIVS *P. IV. dec. 290.*

(*c*) *In diss. de iurisd. & magistr. differentia sec. mor germ th. 52.*

exactio homagii, praestatio census subiectionis, concessio chordearum &c. olim huc etiam pertinebat politiae admininistratio, quae tamen in nonnullis locis, vti in nostris terris factum, a iurisdictione hodie separata est.

§. LXVI.

Secundum nostram definitionem iurisdictio in amplissimo sumitur significatu, & hodienum est vel *ecclesiastica* vel *secularis.* Postquam enim Pontifices, *vapido seruantes sub pectore vulpem,* ecclesiam commutarunt in Rempublicam sacram, adeoque Rempublicam in Republica erexerunt, Respublica vero absque imperio & legibus consistere nequeat, ex necessitate hypothetica, contra doctrinam Christi & Apostolorum, duo suprema regimina in mundo esse debere contendebant, nempe auctoritatem Pontificum & regalem potestatem (*d*). Licet vero aliud sit sacerdotium, aliud vero imperium; nihilo secius tamen Respublica ecclesiastica sibi finxit potestatem legislatoriam & iurisdictionem ecclesiasticam cum imperio sacro coniunctam. Nos, qui procul sumus a fulmine Iouis Romani, specialem Rempublicam in ecclesia non quaerimus, sed Principi, ob summam inspectionem in quaeuis collegia, & superioritatem territorialem, iurisdictionem in personas & caussas ecclesiasticas recte concedimus, quaeque hodie per consistoria, ex libero Principis arbitrio, exercetur. Errat itaque CARPZOVIUS (*e*), existimans, negotia ecclesiastica absolute & necessario coram consistoriis esse decidenda, fundans se in stramineo illo fundamento, quod Princeps duplicem repraesentet personam, secularem nempe & ecclesiasticam, adeoque consistorio tantum praesit tanquam Episcopus.

(*d*) *C. 10. D. 69.*

(*e*) *in iurispr. consist. lib. 1. def. 11. n. 14.*

copus. Eiusdem quoque sententiae est MYLER AB EHRENBACH (*f*) & STEPHANI (*g*), qui affirmare non erubescunt, quod Principes protestantes iurisdictionem ecclesiasticam non iure proprio, vti secularem, sed concessione Imperatoris, vigore decreti Passauiensis exerceant, immo depositarii & nudi vsufructuarii sint iurium episcopalium. Abeant hi contradictores vigilando somniantes, quorum philosophiam crassiorem multo sale perstrinxit Ill. BOEHMERUS (*h*); & nos maiori veritatis apparatu ex natura & indole ecclesiarum affirmamus, quod iurisdictio Principis vna eademque sit circa omnia negotia, & sic vi huius supremae potestatis etiam caussas ecclesiasticas mandare possit consilio intimo, vel alii summo Dicasterio, exclusis omnibus theologis, licet non negem, quod ratione ordinis magis consultum sit, separata habere iudicia ecclesiastica, quae dicuntur consistoria.

In nostris regionibus, vti alibi locorum, consistorium, nomine summae potestatis, exercet iurisdictionem ecclesiasticam tum ratione caussarum, tum ratione personarum ecclesiasticarum, nisi quod personae ecclesiasticae ad citationem iudicis secularis, testimonii ferendi caussa, comparere iubeantur (*i*).

§. LXVII.

Secularis iurisdictio caussas & personas seculares complectitur, & est vel *superior* vel *inferior*. Superior alias dicitur *alta*, & est ipsa iurisdictio criminalis, quae apud Germanos varias accepit denominationes *die Obergerichte*, *peinliche Gerichte*, *Zentrecht*, *der Blutbann*, *Malefizgerichte*, *Fraisfälle*, *Voigtey über Malefiz*, *die Hofgerichte &c.* Haec iurisdictionis species non

(*f*) *De gamol. c. 8. §. 6.*

(*g*) *De iurisd. l. 1. p. 1. c. 7. n. 472.*

(*h*) In I. E. P. *lib. 1. tit. 31.*

(*i*) *Land. Ordn. cap. 1. n. 103. & n. 104.*

non datur ab Imperatore ſtatibus Imperii per ſpecialem conceſſionem in ſenſu iuris romani, ſed ſuperioritas territorialis, quae competit Imperii ſtatibus, ſub ſe comprehendit inter alia iura maieſtatica, poteſtatem iudiciariam, ſeu iuris dicundi in cauſſis ciuilibus & eccleſiaſticis (*k*). Solet iurisdictio non ſolum baſſa, ſed & alta in feudum dari a domino territorii, vnde non incongrue quaeritur, vtrum ſub verbis: *mit Belehnung der Gerichtsbarkeit*, etiam comprehendatur iurisdictio in literis inueſtiturae nec ne? Diſſentiunt Doctores, quorum alii affirmatiuam, alii negatiuam ſequuntur ſententiam. Illi imprimis ſe fundant in iure Germaniae antiquo, ſecundum quod alta iurisdictio primaria fuerit ſpecies, & baſſa iurisdictio huius acceſſorium, adeo vt pro irregulari habita fuerit iurisdictione, ſi inferior ab ea ſeparata fuerit. Quam ob cauſſam iurisdictione *ſimpliciter* conceſſa, merum quoque imperium vaſallo datum fuiſſe exiſtimant CARPZOVIVS (*l*) & MEVIVS (*m*), qui poſterior hanc rationem addit: *In iis, quae ſub vniuerſali nomine, ſeu vt vniuerſitas in aliquem transeunt, partis vel ſpeciei poſſeſſio vel exercitium ſufficit ad poſſeſſionem generis arguendam, donec exceptio vel in ſpecie aliud ſeruatum docetur.* Et hanc rationem BOCERVS (*n*) a pari, vt dicere ſolemus, corroborare & illuſtrare fatagit, dicens: in legibus romanis ſub voce *adoptionis* non ſolum adoptionem in ſpecie ſic dictam, ſed & arrogationem comprehendi. Verum enim vero, argumenta haec non tanti ſunt momenti, vt illis accedamus. Nam 1) hic non quaeritur, quid olim germanicae originis gentes ſub nomine iurisdictionis

(*k*) SCHILTER *Ex. 6. § 8.*

(*l*) *P. 2. C. 4. def. 6. & in pr. crim. qu. 109. n 89.*

(*m*) *P. 4. dec. 290.*

(*n*) *De iurisd. c. 8.*

dictionis intelligere voluerint, sed quid hodierni sit iuris; adeoque 2) ratio, a Meuio adducta, nullius est momenti, id quod eo magis dicendum, quo magis 3) veritati consentaneum, Boceri argumentum in se comprehendere saltum. Maiori itaque iure STEPHANI (o) & STRVVIVS (p) negatiuam defendere videntur sententiam, quod nempe sub generali iurisdictionis concessione tantum inferior iurisdictio sit concessa, quia superior iurisdictio ad res arduas & magni momenti refertur, quae speciali concessione indigent, nec sub generali & indefinita loquutione intelliguntur. Adprobata est haec propositio in Ducatu Cellensi peculiari rescripto die 15 Nou. 1695 Auctore Duce Georgio Wilhelmo *an dero Regierung: daß die völlige Untergerichte zu verstehen, wenn in Fürstlichen Lehn-Briefen, der Gerichte* in genere *gedacht wird.* Sed haec verba limitationem tacitam admittere, secundum Strykii mentem, nullus affirmare dubito; siquidem STRYKIVS, tanquam ICtus herciscundus, mediam amplectitur sententiam, duos casus, a se inuicem diuersos, distinguens. Aut enim, ait, merum imperium iam antea cohaesit fundo, aut non: Priori casu simplex concessio feudi *mit den Gerichten*, inuoluit quoque iurisdictionem criminalem, quia haec feudi concessio renouata omnino se refert ad antiqua iura feudo cohaerentia, nisi probetur, haec Vasallo fuisse erepta: Posteriori casu haec minime adplicari possunt, nisi inuestiens in literis inuestiturae voci iurisdictionis addiderit signum aliquod vniuersale *mit aller und jeder Gerichtsbarkeit*, quia hoc casu sub genere etiam continetur merum imperium, tanquam species iurisdictionis. Huic sententiae, multo sale conditae, & ego quam lubentissime subscribo simulque contendo, quod crimi-

(o) *De iurisd. l. 2. p. 1. c. 7. membr. 2. n. 156.*
(p) *Syntagm. iur. feud. c. 6. §. 18. n. 4.*

VLPIANVS (s), aiens: *Iurisdictio est etiam iudicis dandi licentia*; quippe qui actus absque omni imperio exercetur.

Tandem obserua, iudicem, cui exsequutio demandatur, inspectionem actorum petere non posse, si sententia a Collegio quodam iuridico lata fuerit, sed solam sententiae communicationem sufficere: Ex quo legitime consequitur, iudicem exsequutionis de argumentis, quae nouam defensionem pariunt, iudicare non posse, sed ad iudicem criminalem, qui exsequutionem mandauit, haec omnia remittenda esse.

(*) Etiam in nostris terris possessores iurisdictionis criminalis acta criminalia ad ICtos extraneos pro ferenda sententia transmittunt, interea tamen non omnis appellationis via ad cancellariam inquisito est interclusa, vti in *Ordinatione Summi Tribunalis P. II. tit. 1. §. 2.* disertis legitur verbis. Neque deficiunt huius rei exempla, vti inter alia nos edocet sequens Cancellariae Calenbergensis rescriptum:

Unsere &c.

Es ist empfangen, und Inhalts in mehrern vernommen, was Ihr auf das, ad instantiam Matthias Fischers, *wegen seines am 6ten* Xbr. a. p. *vom Balken gefallenen, und des folgenden Morgens verstorbenen Knechts* Iohann Friderich Stichtenohts, *mithin wegen der, nach Veranlassung dieses* casus, *Ihm* imput*irten* culpa, *und daher* andict*irten Straffe auch Kosten Erstattung, unterm 16ten jeztlauffenden Monaths* Aprilis *an Euch ergangene* Rescriptum, *am 23ten besagten Monaths anhero berichtet; So wenig nun Königl.*

I 2 *Iustitz-*

(s) *in L. 3. in fin. h. t.*

Iustitz-Canzley gemeinet, die Criminal-Iurisdiction *derer von* U. *in so weit diese solche hergebracht, in* contestation *zu ziehen, oder auf einige Weise zu kränken, und so wenig auch in Zweifel gesetzet wird, daß* in causis criminalibus regulariter *keine* Appellationes *Statt haben, so ungegründet und widerrechtlich ist gleichwoll die in dem Bericht geäusserte Meinung, als ob dergleichen* Prouocationes *schlechterdings, und in allen Fällen unzuläßig, einfolglich die adeliche Gerichte hiesiger Lande überall nicht schuldig,* in criminalibus *die* Appellation *an Königl. Iustitz-Canzley zu* admittir*en, und von dieser einige Verordnung anzunehmen, gestalt dann hierunter die kundbahre Reichs- und Landesgesetze, ablänglichen Ziel und Maaße setzen, und dem U---schen Gericht insonderheit die* Disposition *der Ober-*Appellat*ions-Gerichts-Ordnung* P. I. T. I. §. 2. *nicht unbekant seyn kan, gleichwie auch in dem Gerichte selbst der Hannoversche Landtages-Abschied vom 3ten* Aprilis 1639. *zum Grunde gelegt werden wollen, welcher dann zwar diejenige Land-Stände, welche das* Ius meri Imperii *erweißlich haben, und* continu*irlich hergebracht, von Einsendung der* Inquisitional-Acten *an die Landesherrl. Obergerichte* exim*irte, jedoch mit der ausdrücklichen* limitation, *wann selbige sich auf den nächsten hohen Schulen, und sonsten gestalten Sachen nach, vermöge der peinlichen Halßgerichts-Ordnung, Rechtswegen erholten, und* (NB.) *geziemender massen* procedir*ten; Also verstehet sich von selbsten, daß, wann ein* Inquisite *oder* Inculpate *vermeynet, was massen von dem adelichen Gerichte nicht* legitime *wider Ihn* procedir*et worden, derselbe seine deßfals habende Beschwerden* ad Iudicium immediate superius *bringen, und dieses darüber* cognoscir*en, mithin* euentua-*liter*

liter den modum procedendi rectificiren, *oder darunter dem* Iudicio grauanti *Weysung thun könne, und müsse; Anlangend hiernächst den verwaltenden* casum *selbst, so komt es bey demselben nach Anschein derer von dem* Inculpato Matthias Fischer *aufgeführten* grauaminum, *auf folgende* momenta appellabilia *an: Ob der Vorgang* quaest. *in Ansehung seiner*, pro causa criminali *zu halten, und wann dieses richtig, ob allenthalben geziemender massen* procedi*ret, und* Inculpate *mit seiner Nothdurft genugsahm gehöret worden, oder aber mit seiner - oder einer weiteren* Defension *annoch zu* admitti*ren sey? Da nun deren Erledigung, ohne Einsicht derer* in hac causa *ergangenen* Acten, *so wenig mit Zuverläßigkeit bewerkstelliget werden kan, als wenig, ob der zu solchen Ende erfoderten Einsendung sothaner* Acten *dem U - - - schen Gerichte einiges* praeiudicium, ratione Iurisdictionis criminalis immini*ret; Als wird demnach besagten Gerichte seine bezeigte* renitentz *hiemit ernstlich verwiesen, und demselben anderweit* iniungi*ret, sofort nach Erhaltung dieses, die vorhin erfoderte* Acta, in originali, complet, *und verschlossen* ad inspiciendum *anhero einzusenden, und darauf deren fordersamste Erwiderung, mithin, dem Befinden nach, behuefige Verfügung zu gewärtigen, immittelst aber, mit Vorbehalt der* euentualiter *bereits verwürkten Strafe, dem* Mandato poenali in puncto relaxationis *der gepfändeten Kühe, falß es noch nicht geschehen, ohnaufhältlich ein genüge zu leisten. Und &c. geben Hannover den 25ten* Aprilis 1744.

Unsere &c.

Es ist empfangen, was Ihr ad Instantiam Hans Dehnen *in* Brehmcke, *unter den 14ten* Iunii a. c. *anhero berichtet.*

 Wir

Wir lassen es aber bey unserm vorigen Rescripto *vom 16ten* May a. c. *umb so mehr schlechterdings bewenden, weilen in dergleichen Fällen, in Königl. Ober*-Appellat*ions-Gerichtsordnung, wie Euch zweifelsohne bekannt seyn wird, klahre Versehung gemachet, und habet Ihr diesemnach die gesammte* Acta Inquisitionalia *bey 20 Thlr. Strafe binnen 14 Tagen, nach Empfahung dieses, anhero einzusenden. Und* &c. *Hannover den 29ten* Iunii *1743.*

§. LXIX.

Iurisdictioni superiori opponitur *inferior*, quae & *bassa* vocatur, germanice *die Niedergerichte, oder Untergerichte*, quae caussas ciuiles, nec non, iuxta mentem COLERI (t), particulam meri imperii i: e. coërcitionem eiusmodi leuiorum delictorum, quae in poenam pecuniariam mutari possunt, complectitur; siquidem iuxta antiquum ius germanicum omnes poenae capitales & corporales tantum iurisdictioni criminali assignatae, reliquae vero ad ciuilem iurisdictionem relatae fuerint, ceu inter alia docet exemplum poenae vsurariae prauitatis, quae est amissio quartae partis sortis, inferiori iurisdictioni assignatae (v), cuius poenae summa interdum quam maxima esse potest. Vnde non mirandum, quod in quibusdam locis adulterium simplex huc referatur, quatenus poenam pecuniariam admittit.

Secundum ius romanum merum imperium in se comprehendit ius animaduertendi in facinorosos homines sine vlla distinctione, mixtum autem imperium tantum eiusmodi coërcitionem complectitur, sine qua ciuilium caussarum notio expediri nequit, siue quae ad contumaces in ordinem redigendos pertinet, adeo vt nequidem ius mulctandi cohaereat iurisdictioni ciuili, nisi ad

(t) *De proc. execut. p. 2. c. 1. n. 137.*

(v) *Rec. Imp. de Anno 1548. & 1577.*

ad certam ſummam hoc iudici expreſſe fuerit conceſſum (x). Quum vero hodie iurisdictionis alia ſit facies, & diſtinctio *der Ober- und Niedergerichte* magis ex iure germanico quam romano deſcendat, adeo vt ad eandem indicandam Scultetus baculum teneret, Comes gladium (y); quo forſan reſpexit *Nemeſis Carolina* (z): *der Richter ſoll an der Gerichts-Statt ſitzen, ſeinen Stab*, (ſi ſcilicet iudex ſit inferior) *oder bloß Schwerd* (ſi ſit ſuperior) *nach ländlichen Herkommen eines ieden Orts in Händen haben*; facile patet, in diiudicandis caſibus, vel ad altam vel ad baſſam iurisdictionem pertinentibus, non ad iuris romani principia, ſed mores patrios prouocandum eſſe. In multis Germaniae regionibus caſus, ad hanc vel illam ſpeciem ſpectantes, ſunt determinati. Pertinet huc imprimis Conſtitutio Ducis Brunſuicenſis Diui Iulii, & in omnibus fere cum ea amice conſpirant, multarum prouinciarum Germaniae edicta & leges, vti *Sächſiſche Coburgiſche Landes-Ordnung* de anno 1566. tit. 21. *von Ober- und Erbgericht. Weimarſche Landes-Ordn.* tit. 26. *Chur-Sächſiſche Landes-Ord.* de anno 1543. & 1555. tit. 23. *was zu Ober- Nieder- und Erbgerichte gehöret. Magdeburgiſche Pol. Ordn.* c. 58. §. 2. *Anhaltiſche Landesordn.* tit. 13. &c. &c. Certiſſimum ſane hoc eſt argumentum, quod non ſolum diſtinctio ſuperioris & inferioris iurisdictionis, vti Dn. PVFFENDORFF (a) recte ſuſpicatur, ſed & determinatio caſuum ex iure Saxonico ſit profecta, praeſertim quum Reſponſum Scabinorum Lipſienſium, ſpeculo ſaxonico ſubiectum, nec non a CARP-

(x) *L. 2. & fin. C. de modo multarum*

(y) *Reſponſ. Fridberg. p. l. punct. 4. num. 22. Auctor Actor. Lindav. fol. 828.*

(z) Art. 82.

(a) In *Introd. in proc. ciuil. p. 1. c. 10. §. 9.*

Carpzovio (b) typis exscriptum, ad consultat. Senat. in *Thumb.* M. Febr. 1620., cum dictis ordinationibus conspiret, nisi quod sequentes casus, in ordinat. Diui Iulii omissos plane, addiderit: *Teuffels-Seegen und Wahrsagen, Gotteslästerung, Abtreibung der Leibesfrucht, unmenschliche Vermischung mit verstorbenen Weibes-Personen, Kuplerey ehrlicher und lediger Personen, Verlobung mit zweyen Weibern, Verursachung eines Auflaufs oder Zwidrachts, Absage der Vehden, Steckung der Brandzeichen, Bestehlung der gerechtfertigten Missethäter an den Galgen oder auf dem Rade, und Abnehmung derselben von denen Gerichten, Beraubung der Bienenstöcke, Schwächung auf dem Marckte oder Landstrassen, falsches Zeugniß, Theuermachung des Korns oder ander Getreydes, Verwahrung unsinniger Leuthe durch die Freunde oder aus richterlichen Amte, Verderbung eines Ackers, so bey nächtlicher Weile vorgenommen, Handanlegung an die Eltern, wie dann auch heimliche Gift und Gaben darum gegeben, daß er zu einem Amte erkohren und erwehlet worden, Haußsuchung, wenn jemand einen andern gefänglich einsetzet und hält, Schwächung der Iungfrauen und Beschlaffung der Wittwen, schlechte Hurerey* (excipe *wenn sie einander nachmahls ehelichen, oder der Bräutigam und Braut vor der* Copulation *sich zusammen finden*) *wenn die Hurerey mit Gefangenen, in anbefohlnen* custodien, *oder mit wahnwitzigen sinnlosen Weibes-Persohnen begangen wird.* Hosce tamen casus speciales ordinatio Diui Iulii, licet ipsos non expresserit, haud respuit, sed propter clausulam: *alle solche und dergleichen auch höhere und grössere Mißhandlungen* &c. iurisdictioni superiori tribuit omnino.

§. LXX.

(b) In *pr. crim. p. 3. qu. 109. n. 31.*

§. LXX.

In noſtris regionibus tam Electoralibus quam Ducalibus diuiditur quidem iurisdictio in ſuperiorem & inferiorem, *in die hohen und Niedere Gerichte* (c), quinam vero caſus ad hanc vel illam iurisdictionis ſpeciem ſint referendi, haud ſpecialiter determinatum eſt; quod enim legimus in Inſtructione, quae iudici Electorali Dannebergenſi praeſcripta eſt: *die Fälle aber ſo zu dem Obergerichte gehörig, ſind dieſe: Ketzerey, Zauberey, Kirchen-Raub, Ehebruch, Vergiftung und alle andere Ubelthaten, die auf Haut und Haar, Leib und Leben zu beſtraffen,* totam litem non componit. Interim probe notandum eſt, quod liberi, qui obſequium in parentes exuunt, ad iudicium criminale ſint remittendi, *es mögen ſolche Freveltbaten ſo geringe ſeyn, wie ſie wollen*, adeoque hic caſus a iudice, iurisdictionem ſuperiorem habente ſemper apud nos eſt diſcutiendus, quemadmodum verba *Conſtitutionis d. 30. Nov. 1735.* clare diſponunt: *von unſern Beamten davon an die Iuſtitz*-Collegia *berichtet, und die Verbrecher* reſpectiue *mit dem Zuchthauſe und Karrenſchieben dem Befinden nach beſtraffet werden ſollen* (d). Nec minus nonnulli caſus, ad ſuperiorem iurisdictionem ſpectantes, recenſentur *in der Criminal-Inſtruction de 1736. §. 2.: Läſterungen gött- und weltlicher Majeſtät, Mord, Raub, Todtſchlag, Einbruch, Diebſtahl, Aufruhr, Wiederſetzlichkeit gegen die Obrigkeit, Ehebruch, Nothzucht, Verfälſchung der Müntze, Briefe oder Siegel, Brandſtiftung, Landfriedensbruch, böſsliche Befehlung, Meyneid, Vergiftung, Verkauffung oder Ent- und Verführung der Leuthe, Vergreiffung derer Kinder an ihren Eltern, ſo wohl mit Worten als mit Wercken;* veruntamen & hic catalogus non omnia exprimit, ſed in ſequentibus addit: *und an-*

(c) *Puffend. in proc. cin. P. I. c. 10. §. 9.*
(d) *Land. Ordn. c. 2. n. 138. p. 790.*

andere wieder die gemeine und Reichs-Gesetze, auch unsern Landes-Ordnungen und Edicta *begangene strafbahre Ubelthaten* &c. quae extensio satis docet, in nostris terris Doctorum contentiones circa hanc quaestionem haud penitus esse sublatas. Quod ad iniurias attinet, omnis altercatio sublata est inter praefecturam & ciuitatem Dannebergensem mediante *Resolutione prouinciali de 1682. §. 2. Vierdtens was* in specie *die* iniurien *betrift, die in der Stadt vorfallen, so ist Ihro Durchl. Wille, daß wenn darinnen* ciuiliter *geklaget, dieselbe von Bürgermeister, Gerichts-Schultzen und Rath, wenn aber in selbigen peinlich entweder auf Haut und Haar, Leib und Leben oder eine Geldbusse über 20 Lst. geklaget wird, von dem Amte rechtlich* cognosciret *und gestraft werden sollen.*

Dubiae iurisdictionis casus sese exserere putat HILDEBRAND (e): I) circa delicta ratione limitum vel finium II) circa delicta molendinorum III) circa visitationem columbariorum, *der Taubenschläge* IV) circa pondera & mensuras, V) circa protectionem encoeniorum *Kirchwey-Schatz* (f) & hanc addit epicrisin, quod hi effectus ad Centenam pertineant jurisdictionem, si circa illos forte delicta, ad criminalem jurisdictionem pertinentia, fuerint perpetrata, vel talia facta acciderint, quae huc spectant, sin minus, ad Vogteiam rectius pertinere videantur, nisi aliud speciali constitutione sit expressum, vel obseruantia introductum. Veritati conuenit haec Hildebrandi obseruatio, nam specialior huius argumenti determinatio ex locorum consuetudine, statutis & legibus prouincialibus omnino petenda est, sic v. g. in nostris terris omnis cognitio ademta est Dicasteriis in caussis ad oeconomiam & administrationem bonorum domanialium spectantibus; id quod etiam dicendum est de villi-

(e) *in diss. de iurisdict. uniuersa c. 4. posit. XI.*

(f) Conferatur quoque MANZIUS *in Decis. Palatinis quaest. 91 seqq.*

villicorum constitutione & dimissione, nec non de seruitiis rustiscis, si quaestio est de ipsorum qualitate, aliud vero obtinet, si rusticus plane seruitia negat. Iudicat quoque *die Rent-Cammer* circa officialium cameralium dimissionem, si modo dimisso fiat absque infamiae nota, *denn so ein Bedienter* cum infamia *abzusetzen, oder noch ausser dem zu bestrafen, komt es jedermahl auf eine* special resolution *des Landes-Herrn an, ob die* Acta *desfalß an ein* iustitz Collegium *zu geben* (g).

§. LXXI.

Dantur adhuc plures iurisdictionis species, prout nempe Princeps in territorio suo certa causarum obiecta speciali iudicio committere voluit. Spectat huc apud nos iudicium metallicum *das Berg-Amt*, quod de caussis metalli fodinarum iudicat *nach der* anno 1593. public*irten Berg-Ordnung, welche in dreyen haupt Theilen bestehet; der erstere handelt von der Amtleuthe und Diener Befehl; der andere, von dem Bergwerk und desselben zugehörenden Sachen, auch von Stollen, derselben Gerechtigkeit, und wie sie die erlangen; der dritte, von dem Hüttenwerk, und was demselben anhängig ist, alsdenn folget zum Beschluß der Bergleuthe Eyde* (h). Praeterea huc referenda sunt nonnulla specialia, quae sequuntur, edicta.

1) Edictum de 8. Nou. 1690. *daß die Zubuß vor Ablauf des zweyten Quartals, in welchen die Grube in den Bergzettel gesetzt wird, bey Vermeidung der* Retardir-*und* Caducir*ung der Bergtheile, soll abgeführet, auch bey Strafe des Verlusts keine Kuxe auf einen fremden Nahmen, ob es gleich mit dessen guten Willen geschähe, soll geschrieben werden* (i).

 2) Edi-

(g) Vide *Edict. Regium de 19. 8br. 1719 Land. Ordn c. 5. n. 1. & c. 2. n 36.*
(h) *Land. Ordn. c. 6. n. 18.*
(i) Conf. *Edict de 28. Octobr. 1684.*

2) Edictum de 11. Martii 1686. *vermöge dessen die ungetreuen Bedienten mit harter Strafe angesehen, auch die Steigere, wenn gleich deren Untreu in wenig Groschen bestehet, ihres Dienstes entsetzet, ja wenn die Untreu der Bergbedienten merkliche Umstände bey sich hat, an Leib und Leben die Verbrechere dem Befinden nach gestraft werden sollen, wenn gleich in der* Constit. Crim. Carol. *eine gelindere Strafe gesetzet worden.*

3) *Bergamts* patent *von* 21. Nou. 1691. *daß keine Kuxe gekauft oder verkauft werden solle, es sey denn dieselbe in dem alle Quartal gedruckten Bergzettel befindlich,* sub poena denegatae cognitionis.

4) *Churfürstl. Berg-Amts* patent *vom* 24 May 1704. *daß keine Kindtaufsmahle, und* collationes *bey denen Kirch-Gängen gehalten, auch die Pathen-Geschenke abgestellet werden sollen,* sub poena arbitraria.

5) Edictum de 28 Apr. 1712. *daß die Zänk-und Schlägereyen auf denen dem Bergwerk zustandigen Orten mit Landes-Verweisung, auch, wenn sich jemand an seine Vorgesezte mit Wort- oder Werken vergriffen, noch härter gestrafet werden sollen.* Imprimis vero

6) notatu digna est Constitutio de 28 Dec. 1716. *daß kein Arrest auf die Bergtheile zu verstatten, auch diese unter einem erlangten* General-Arreste *nicht zu verstehen, es wäre dann* a) *daß die Schulden von Bergwerk herrühren* b) *oder vom Bergamt versichert, oder ins Bergbuch von dem Berg-Gegenschreiber eingetragen sind, oder* c) *der* debitor *flüchtig worden, und man sich an seine Persohn nicht halten könne.* Porro dicta cōnstitutio iubet: *daß keine* hypothec *auf Bergtheile und Ausbeute* in concursu creditorum *eine* prioritaet *haben solle, welche nicht in Bergamte errichtet, oder* confirmirt, *oder wenigstens durch den Berg-*

Gegen-

Gegenschreiber ins Berg-Buch eingetragen worden. Item: *daß die Bergtheile von allen* confiscationen *befreyet seyn sollen.* Reliqua edicta specialia, quae potissimum de rebus metallicis loquuntur, legi possunt *in denen Land. Ordn. l. c.*

§. LXXII.

Alicubi locorum datur quoque speciale iudicium forestale; & quamuis in nostris terris habeamus *das Forst-Amt auf dem Haarze*, hoc collegium tamen non consideratur tanquam forestale dicasterium, sed tantum oeconomiam forestalem nomine Camerae in hercyniae syluis obseruat & circa delicta forestalia *die Forst-Wrugen*, quemadmodum & nonnulli ciuitatum Magistratus in suo districtu, cognoscit. Pertinent itaque caussae venatoriae & forestales in Electoratu nostro ad iudicia ordinaria, vti Resolutio Ducis Christiani Ludouici beatae memoriae de 18 Dec. 1652. hisce verbis declarat: *Hochgedachte S. F. G. wissen sich eines in Iagt-und Forst-Sachen verhängten dritten Gerichts gar nicht zu erinnern - ,, - sondern lassen es bey denen von Dero hochseligen Vorfahren angeordneten Canzeley und Hofgericht bewenden, und wollen, dass daselbst diejenige, so sich an ihrer Iagt-Gerechtigkeit beeinträchtiget zu seyn vermeinen -,,- gegen die Beamte und Förster, von denen sie* gravirt *zu seyn vorgeben mögten, ihre Klage gebührlich anbringen, und darauf gehörigen Bescheides gewärtig seyn* (k). Interim iudicis ordinarii potestas restricta est *bey denen Amts-Unterthanen, deren Klagen in Holz-und Mast-Sachen über Forstbediente, von denen Iustitz-*Collegiis *nicht dürfen angenommen, sondern müssen an die Königliche Cammer* remittiret *werden.* Sin vero alii adsint actores, veluti Praelati Nobiles, Ciuitates, Schriftsassii, ante omnia tentanda est amicabilis compositio *von denen zu Cammer-Sachen absonderlich verordneten Geheimten- und Cammer-Rä-*

 then,

(k) Conf. *ordin. Iud. Cell. p. 533.*

then, quod si vero actor nihilo secius provocat ad Collegium iustitiae, acta remittuntur iudicio aulico (l), quod absque multa circuitione de eiusmodi caussis venatoriis & forestalibus, *welche* Iura, *Frey und Gerechtigkeiten* pro obiecto litis *haben*, *oder wenn daraus dem Kläger* per consequentiam *ein grosser Nachtheil entstehen könte*, secundum iurium praescriptionem cognoscit.

Idem fere obtinet in Episcopatu Hildesiensi, quemadmodum legimus in *Resolutione Principis Electoris & Episcopi Clementis Augusti d. 29. Martii 1731.* verbis: *In allen und jeden die Fürstl. Hof-Cammer und Aemter betreffende Sachen durchgehends* iustiz administ*rirt* - „ - *denen Landsassen und Unterthanen denen Reichs*-constitutionibus *gemäß der Weg Rechtens offen bleiben* - „ - *die* denomin*irten Zeugen in denen angeführten streitigen Iagt-Sachen abhören zu lassen*, *demnächst aber* super possessione & eiusdem qualitate *nach Anleitung der Rechte erkandt werden*.

Apud nos Praefectis regiis coinspectio commissa est *in der Amtsordnung* de 1674. §. 33. Immo Praefectus a cognitione non excluditur, *wenn der geistlichen Diener*, *ingleichen Schulmeister und Küster in denen Gehölzen zur Ungebühr sich betreten lassen*, *und daher Pfandbahr und Bruchfallig gefunden werden*, *sondern es ist das Verbrechen von denen Forstbedienten so wohl dem* special-Superintendenten, *als auch dem Amtmann jedes Orts zu notificiren*, *damit diese* coniunctim *in der Forstbedienten und des Bruchfalligen Gegenwart die Strafe erkennen*, *und* eventualiter *von dem Amte beygetrieben werden können* (m). Nec minus huc pertinet *der Fürstl. Befehl* Ducis Georgii Wilhelmi b. m. d. 28. Ian. 1662. *daß die Beamte*, *zu allen was in denen Forsten geschiehet*, *zugezogen werden*, *und die Berichte*, *wie*

(l) *Rescript an die Iustiz-Canzel. de 17. Decembr. 1663. Land. Ordn. c. 2. n. 36.*

(m) *Land. Ordn. c. 1. n. 100.*

auch der Förster Manual *und Haupt-Rechnungen mit unterschreiben sollen* (n). Qua de caussa sancitum quoque est, *daß das Waldeisen, Wald-oder Mahlbahrte, oder Waldhammer, womit die zu fällen bewilligte Stämme bemahlzeichnet werden, von denen Förstern muß versiegelt und dem Amte zur Verwahrung eingeliefert, und ohne* accidens *abgefordert, auch* coniunctim *gebraucht werden* (o). In terris brandenburgicis quoque hi, qui circa res forestales & venatorias delinquunt, a praefectis regiis, in foro delicti iurisdictionem habentibus, examinantur in praesentia *der Forstbedienten, und wird das* protocoll *dem Ober-Forstmeister zugesandt, und der* delinquent *nach der Magdeburgischen Pol. Ordn. c. 9. von Iagtsachen bestraft, ist aber das* delictum *so beschaffen, daß es einer weitern Untersuchung bedarf, so wird davon an höhern Ort Bericht erstattet, und des Processes halber weitere Verfügung erwartet.*

§. LXXIII.

Datur praeterea militaris iurisdictio, quae apud nos diuiditur in ciuilem & criminalem. Hanc exercet *die* Generalitaet, sub titulo General-*Kriegesgericht*; illam *die Krieges-Canzeley*, sub nomine *der Krieges-Gerichts*-commission. Sub hoc foro militari eoque ciuili continentur caussae ciuiles personales, cuiuscumque demum sint generis, non solum eiusmodi personarum, quae corpori militari sunt innexae, sed & horum hominum feminae, liberi, famuli & ancillae. Idem forum agnoscunt *die mit oder ohne* pension *abgegangene Ober-Officieri, auch bey der Landmiliz stehende Ober-Officiers, wenn sie gleich vorher in fremden Kriegesdiensten gestanden, nicht weniger deren Frauen und*

(n) *Land. Ordn. c. 6. n. 47.*

(o) *Land. Ordn. P. I. c. 1. p. 649. p. 677. p. 683. P. IV. c. 6. p. 245. & 226.*

und Kinder. Ab hoc foro militari autem tam in ciuilibus quam criminalibus alieni ſunt *die* Commiſſariat-*Bediente*, quippe qui Cancellariae vel iudicii aulici iurisdictionem agnoſcere debent. Idem dicendum eſt de vidua praefecti militum defuncti *der Ober-Officiers Wittib*, huiusque liberis, quamdiu penes matrem viuunt. At milites inferioris ordinis nec non militum praefecti inhoneſte dimiſſi i. e. *die Ober-Officiers, welche durch ein Kriegesrecht* caſſirt *oder ſonſt ohne Abſchied* remov*irt ſind*, iudici inferiori, in cuius ditione degunt, obtemperant, tam in ciuilibus quam criminalibus.

Porro mulieres & liberi militum inferioris ordinis, *der Unter-Officiers und Gemeinen*, in caſtris viuentium, tamdiu inferiori iudici ſubiiciuntur, quamdiu legio non reuertitur, niſi quod cauſſae, iam in litem deductae, gaudeant litispendentiae effectu.

Ne vero hoc iudicium militare *die Kriegesgerichts*-Commiſſion proceſſuum multitudine defatigetur, expreſſis verbis ſancitum eſt, milites ſuperioris ordinis, in noſtris terris poſſeſſionatos, coram Cancellaria vel iudicio aulico, inferioris autem ordinis poſſeſſionatos coram iudice rei ſitae conueniri poſſe in actionibus perſonalibus, ſi lis aeſtimationem 50 thalerorum excedit.

Exſpirat forum militare mortuo milite, addita tamen hac clauſula: *daß der* Chef *des* Regiments *den Nachlaß* obſign*iret und* inuent*iret*, *und das* inuentarium *der Krieges*-commiſſion *einſendet*, *welche abſonderlich von nothdürftigen Perſohnen* in liquiden *an die Erbſchaft gemachten Forderungen* e. g. in cauſa dominii depoſiti, commodati *u. d. gl. nicht weniger* in puncto *des Liedlohns ſo fort das nöthige verfüget*; *diejenigen an den Nachlaß des* defuncti *gemachte Forderungen aber*, *welche* altioris indaginis *ſind*, *mit Einſendung der* Acten *an das* Ciuil-*Ge-*

richte

richte verweiset, jedoch mit obigen Unterschied, ob der defunctus *ein Ober-oder Unter-Officier und Gemeiner gewesen.* In actionibus realibus semper & absque vlla distinctione Magistratus rei sitae est iudex competens.

§. LXXIV.

In caussis matrimonialibus consistorium adeundum est, *ausser wenn ein* Subaltern-*Officier und Gemeiner wegen einer Ehe-Sache, welche er* durante militia, *und zwar die* Subaltern-*Officiers ohne Vorwissen und* Consens *des* commandir*enden Generals und ihres* Chefs, *die Unter-Officiers und Gemeine aber des* Chefs *des Regiments, eingegangen, verklaget wird, sollen die Klagen bey dem* Consistorio *gar nicht angenommen, sondern an die* Generalitaet, *zu fernern Verfahren, Inhalt des Königl. neuen Krieges-Rechts und* Articuls-*Briefes* Art. 34. *verwiesen werden; Jedoch so viel die Officiers betrift, welche eine ehrliche ohnbescholtene Frauens-Persohn* sub promissione matrimonii *geschwängert, soll nach dem 5ten §. der 1733. unterm $\frac{15}{16}$ Ianuarii* publi*cirten Verordnung ohnabbrüchig erkannt werden.*

Quid vero si caussa in litem deducenda partim ciuilis, partim poenalis est? hoc casu maius interesse absorbet minus, adeo vt caussa poenalis praeualens, ad Generalitatem, caussa autem ciuilis potior ad commissionem bellicam remittatur. Quodsi vtraque causa vnius eiusdemque est ponderis, Generalitas conferre solet cum commissione bellica, ne duplici processu sit opus, ob quam rationem praeuentio quoque locum habet, si duo sunt rei, altera militaris, altera ciuilis persona, quae ex vno eodemque & inseparabili negotio e. g. societate actori sunt obligatae, & vtriusque interesse pari passu ambulat; alias enim, si ciuilis persona in maius est obligata, actor coram iudice ciuili, sin minus, coram commissione bellica caussam in litem deducit, *damit kein*

 dop-

doppelter Proceß entstehe, und soll davon demjenigen Gerichte, unter welchen der Mitbeklagte stehet, Nachricht gegeben werden.

Ceterum, ob celerrimam iustitiae administrationem, conueniri quoque potest reus *bey dem* Chef *des* Regiments *in* ordinairen *meisten theils geringen Schuld-Sachen*, non tamen absolute, ita enim sancitum est *in dem Militair Iustiz-Reglement §. 16. Wenn bey Unser Gerichts-Krieges-*Commission *die Klägere sich sofort, und von Anfange melden, ist solche nicht* praecise *schuldig, dieselben ab und zum* Regiment *zu verweisen, sondern es soll dieselbe - ,, - befugt seyn solche Sachen, befundenen Umständen nach, vornemlich wenn sie von Wichtigkeit sind, so fort zu* cognosc*iren, und abzuthun.* Interim actor docere debet, quod Praefectum legionis iam adierit; quo casu protocolla & resolutiones vna cum libello transmittendae sunt, sub poena arbitraria (p).

§. LXXV.

Dari quoque iurisdictionem salinariam, nemini ignotum esse potest. Ait hac de re AHASV. FRITSCHIVS (q): *Quemadmodum metalli fodinarum certa haberi solent statuta & ordinationes, quae Berg-Ordnungen appellantur: Sic & salinarum certae sunt leges & statuta, Salz-Ordnung, Pfänner-Ordnung, quibus cauetur vt in salinis ordine omnia gerantur, fraudulentae salurgorum actiones puniantur, & tam publica vtilitas, quam Salinatorum commoda promoueantur. Vnde etiam certi eliguntur officiales & Praefecti Salinarum, Salzgräven, Ober-und Unter-Bornmeister, Pfann-Herren, Salzschreiber, & alii. Ius autem statuendi circa salinas est Principis, in cuius territorio istae reperiuntur.* Iam Romanorum fontes salinarios habuisse praepositos, SPONIVS (r) ex veteri lapide demonstrat,

GE-

(p) Vid. *Militair iustiz Reglement de 1736.*
(q) *De regali salinarum iure c. VII §. 1.*
(r) In *Miscell. erud. Antiq. Sect. II Art. VII. p. 331.*

G E N I O
F O N T I S
S A R
C. I V L I V S
P R O P O S I T V S
D. D.

Fugit quidem SPONIVM, qualis ille fons *Sar* fuerit, sed Dn IOH. HENR. IVNGIVS (s) recte suspicatur, legendum esse *Sal* scilicet C. Iulium fuisse *Fontis Salinarii propositum*, quoniam hic lapis repertus est in via Appia, cuius ductus, teste FRONTINO (t), longitudinem habet usque ad Salinas. Omnino cura Principum suprema exigit, vt viri vsu & rerum salinarum experientia periti praeficiantur fontibus, ne sal chariori, ut par est, pretio vendatur, neque aqua salinaria corrumpatur, neque homines, in salinariis operam praestantes, suo deficiant officio, & controuersiae circa rem salinariam exortae secundum propria principia dirimantur. Halae Saxonum res salinatoriae etiam speciali gaudent iudicio, quod vocatur *das Thalgerichte*, quia in valle habitant *die sogenannten Hallorum, so in den in der Halle befindlichen Salzkothen das Salz kochen*, opponitur hoc iudicium, cui praeest *der Salzgräve*, iudicio ciuili, cui subsunt alii ciues, quodque vocatur *das Berggerichte*, cuius praeses est *der Bergrichter*, qui nomine Principis, quemadmodum alibi locorum *der Gerichts-oder Stadtschulze*, iurisdictionem exercet.

§. LXXVI.

In emporiis singulare iudicium haberi solet propter commercia, quod vocatur *mercatorium*. Haec mercantilis iurisdictio vel ab expresso vel tacito consensu Principis proficiscitur,

 quando

quando nempe posteriori casu mercatores inter se eiusmodi iudicia, accedente Principis conniuentia, erexerunt (v). Differunt ab hoc iudicio mercatorum compromissa, quae vocantur *parère*, nisi a Principe schemate iurisdictionis sint munita, quo casu primam quasi instantiam constituunt (x).

Plerumque hoc iudicium concurrentem habet iurisdictionem cum ordinariis iudiciis, adeo vt praeuentioni sit locus (y), & pro obiecto habeat merces euectas & inuectas, debita, mutua, permutationes, cessiones, assignationes, societates, laesiones circa mercaturam commissas, assecurationes, mercatorum fideiussiones, sponsiones, rescissiones, restitutiones, sequestrationes, nauigationes, circa stapulae & granii exercitium commissiones, Factorum gestiones, mercatorum commendatitias literas, nonationes, delegationes, casus fortuitos, negotia proxenetarum, & reliqua (z). Spectant huc quoque caussae cambiales, ex iure Guelpherbytano tamen notandum est, in hoc Ducatu actori electionem fori concessam esse, *wann an dem Orte, wohin der Wechsel zu bezahlen lautet, verschiedene* iudicia etabli*ret sind*, addita tamen hac exceptione: *Iedoch daß in unsern Städt-und Vestungen Braunschweig und Wolfenbüttel, wann Persohnen* differen*ter* Profession *oder Standes* e. g. *eine* Ciuil- *mit einer*

(v) Vid. *Nürnbergische Banco-Gerichts-Ordnung de A. 1697.* & LAVTERBACH *in diss. de iure in curia mercator. vsitato* §. *268. sqq.*

(x) Vid. PAVL. IACOB. MARPERGER *im neueröffneten Handelsgerichte cap 3.* & *4.*

(y) COLERVS *de processu execut. p. 1. c 2. n. 44.* LAVTERB. *c. l.* § *267.*

(z) HARPRECHT *in tr. de contr. aurigarum.* EYBEN *de' constit.* & *iuribus Factorum.* ROESNERI *tr. de libris Mercatorum.*

einer Militair-*Hof*-Capitular- *oder geiſtlichen Perſon zu rechten hätte, allemahl auch eine Gerichts Perſon von ſolchem* foro *oder dem* Capitulo *mit dazu gezogen werde* (a).

Plerumque iudicium mercatorium non ſolum animaduertit in perſonas huic iurisdictioni ſubiectas, ſed & curam gerit ſignaturae, notationis & ponderationis mercium euehendarum, praeterea ſingulari & ſummario vtitur procedendi modo, nec non alicubi locorum, ſub confirmatione tamen domini territorialis, ſtatuta, ad vtilitatem mercaturae ſpectantia, condere poteſt, quae paratiſſimae exſequutionis eſſe ſolent. Gaudet tandem quandoque priuilegio de non appellando, ne lites ſpirantes & reſpirantes alias mercaturis ſint detrimento, quod tamen ſecus eſt Norimbergae, *vbi ad Illuſtrem Senatum prouocatur* (b). Iudices hi, nautis & mercatoribus dati, vocantur *Conſules*, de quibus imprimis legi poſſunt: *Les Inſtitutes du Droit conſulaire* par IEAN TOVBEAV, qui doctiſſimus Bibliopola Auarici Biturigum aliquoties annuo mercatorum Conſulis & Praefecti officio functus eſt (c).

§. LXXVII

Admiralitatis iudicium verſatur circa credita maritima (d), contractum locatae conductae nauis, ius poſtliminii, quo naues

 captae

(a) Conſtitut. cambialis de 1715. art. 59.

(b) Conf. N[illegible] *Banco-Ger. Ordn. art. vlt.* & HILDEBRANDI *diſſ.*

captae vtuntur, circa excursiones maritimas, vulgo *capereyen* (e), circa contractum assecurationis (f); versatur praeterea circa contributiones, quae ob iactum fiunt (g), circa stelliones maritimos, qui vulgo vocantur *Lorrendreyer*, circa merces commissas & quae sunt reliqua (h).

Senatus Lubecensis quoque anno cIↃDCLV. proprium litibus nauticis accommodauit iudicium, cuius ordinatio etiam typis exscripta, & iuri Lubecensi adiecta est; *sed dolendum*, ait ANDREAS LANGE (i), *quod hoc iudicium quasi ab vsu recesserit, & controuersiae maritimae, perinde vt reliquae, vel in superiore vel in inferiore, quod apud nos est, iudicio agitentur, & gradu haud citiore quam aliae, procedant. Non ita pridem quidem, occasione litis inter B. eiusque exercitores C. de iudicio isto in vsum reuocando, cogitatum est, sed, ob graues rationes, Senatus prudentissimus eam curam in aliud tempus differre optimum duxit.*

§. LXXVIII.

Dantur etiam alicubi locorum *die Zeidler-Gerichte*, quibus subsunt possessores praediorum mellificio aptorum, *der Zeidel-Güter*, cuius generis iudicium in territorio Norimbergensium nec

(e) De quo argumento legi potest WILLENBERGII *dissertat. de eo quod iust. est circa excurs. maritim.*

(f) De quo optime PETRVS SANTERNA, Lusitanus, in libro *de Assecurationibus & sponsionibus mercatorum*, scripsit.

(g) De quo argumento legi merentur HENR. *ab* ASCHEN, CVHMANNVS & DERSCHAV.

(h) Imprimis conferri potest FRANCISCI CLARCKE *Praxis Curiae Admiralitatis Angliae* Londin. 1607., & KRVGERI *dissertat.* sub praesidio WERLHOFII *de iudicio Admiralitatis Hamburgensi.*

(i) *In Introduct. in notit. legum nauticarum c. IX. p. 69.*

nec non in Luſatia inferiori habetur (k). Hi, qui *Zeidleris* ſunt praefecti Sclauonice vocantur *Staroſten* i. e. ſeniores, uti obſeruat HEINECCIVS (l).

De iudiciis Weſtphalicis, *von den heimlichen Gerichten*, nihil eſt quod addam, quum praefecti huius iudicii, qui vocantur *Freygrafen*, hodie terrorem non incutiunt, nec adeo ſunt frequentes, & iam CONRINGIVS, HERTIVS, THOMASIVS, & qui ſunt reliqui, hoc argumentum illuſtrarunt.

§. LXXIX.

Opificibus olim in cauſſis opificum leuioribus cognoſcendi atque iudicandi integrum erat, vnde *iurisdictio opificialis*, quam tamen magis moribus & conniuentia, quam expreſſa Superioris conceſſione, introductam eſſe ſcimus (m). Abutebantur opificum collegia hac poteſtate, praeſertim circa conuitia *wegen des Schaltens und Auftreibens*, quum nemo Magiſtrorum boethum diffamatum recipere, nec boethorum quiſpiam magiſtro diffamato operas praeſtare debebat, immo boethi quam ſaepiſſime Magiſtratui de rebus opificialibus cognoſcenti turmatim ſeſe opponebant, id quod dicitur *einen Aufſtand machen*, neque prius operas magiſtris ſuis praeſtare volebant, quam deſiderio ſuo a magiſtratu ſatis eſſet factum. Ob haec & ſimilia, Rempublicam apprime turbantia, per concluſum Imperii die vigeſimo ſecundo Iunii CIↃ IↃCC XXXI. hi opificiorum peſtiferi abuſus ſunt abrogati, adeo vt opifices nulla iurisdictione amplius gaudeant, ſed in noſtris terris lites alicuius momenti ad iudicem or-

ficialium obferuationem, *wenn sich jemand nach Handwerks-Gebrauch nicht verhält*, v. g. fi quis in conuentu, *bey der Auflage*, brachium menfae impofuerit, vel pugno menfam ferierit, falutem omiferit, fero comparuerit, obfcoena aut mendacia loquutus fuerit &c. poenam pecuniariam, quae tamen fummam XII groſſorum excurrere non debet, dictitare poſſint.

§. LXXX.

Tandem notandum eſt, a Dominis territoriorum, Iudaeos recipientibus & tolerantibus, certis perfonis Iudaicis vel expreſſe vel tacite conceſſam fuiſſe poteſtatem, inter Iudaeos de cauſſis ad eorundem caerimonias & ritus pertinentibus cognofcendi, & fecundum legem Mofaicam ius dicendi. Immo exſiſtimat KNIPSCHILD (n), haec omnia ex Iudaeorum tolerantia fluere, qui enim, ait, ipfos in fuo viuere territorio permittit, is quoque eo ipfo indulget eisdem viuere in actibus fuis caerimonialibus fecundum legem mofaicam, ne confcientiis imperare velle videatur, fi modo inde nec fcandalum, nec laefio diuinae Maieſtatis oriatur (o). Si qui Iudaeorum ex communi pactione ad fimilitudinem arbitrorum apud Iudaeos in ciuili duntaxat negotio putauerint litigandum; fortiri eorum iudicium iure publico non vetentur (p). Immo eorum fententias iudices exequantur, tanquam ex fententia cognitoris arbitri dati fuerint. Nec minus Impp. HONORIVS & THEODOSIVS (q) difertis verbis edixerunt, controuerfias, inter Chriſtianos & Iudaeos exortas, non a Senioribus Iudaeorum, fed ab ordinariis Iudicibus eſſe dirimendas. Ex quo recte fequitur, lites, quae inter Iudaeos de caeri-

(n) *De Ciuit. Imp. L. 2. c. 30 n. 31.*
(o) Conferatur *Nou. CXLVI. cap. 2.*
(p) *Per Legem 8. C. de Iudaeis.*
(q) *In L. 15. eod.*

caerimoniis intercedunt, a Iudaeorum Senioribus componi posse. Exceptio enim in casibus non exceptis firmat regulam. Imperator LEO quidem (r) omnibus Iudaeorum legibus silentium iniunxit, & existimat GOTHOFREDVS (s), Iustiniani dispositionem (t), qua permissum erat Hebraeis suo more viuere, amplius non valere: Sed ait Ill. BOEHMERVS (v): *Iure Iustinianeo constitutum est, Iudaeos suis ceremoniis relinquendos esse, quod non est abrogatum per Nou. Leonis 55, vt vult Dionys. Gothofredus.* Et nemo facile, qui praesupponit, Leonis Nouellas in foro non esse receptas, huic sententiae detrahet calculum. De controuersiis vero, quae de caussis ciuilibus inter iudaeos oriuntur, aliter sentiendum esse facile dixeris. Si iudaei cum Christiano caussam habent, omnes fateri oportet, litem secundum ius commune componendam esse; sin vero actio instituitur a iudaeo contra iudaeum, multi Doctorum affirmant, controuersiam hanc secundum ius forense mosaicum, si a iure communi recedit, decidendam esse. Referunt huc terminum maiorennitatis, asserentes, masculos decimo quarto, feminas autem inter Iudaeos duodecimo anno aetatis maiorennes fieri, & restitutionis beneficio vti non posse; dicunt praeterea testamenta Iudaeorum coram duobus testibus condita valere, masculos feminis in successione ab intestato praeferri, iuxta dispositionem mosaicam (x): *Ad filios autem Israel loqueris haec: Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam eius transibit hereditas.* Item valere testamentum Iudaei, licet filium non instituerit heredem, sed ipsi tantum reliquerit legatum, nec non in

contra-

(r) In Nou. sua LV.

contractibus attendendum esse ius forense mosaicum. Sibi deesse non volunt hi Doctores (y) in confirmanda hac opinione: Aiunt enim 1) leges iudaeorum expresse non abrogatas omnino valere, imprimis quum in iure canonico (z) habeatur, *bonas Iudaeorum consuetudines immutandas non esse*, 2) populum iudaicum sub Romanis propriis legibus vsum fuisse, id quod CYRIACVS ex verbis PILATI: *accipite eum, & crucifigite eum secundum legem vestram*, deduci posse existimat, 3) Iudaeorum iura esse specialia communi iuri derogantia, 4) iudicem semper iudicare debere secundum litigantium consuetudines. Sed haec argumenta, vti Ill. BOEHMERVS (a) probatum dedit, non stringunt. Nam prima ratio in se continet petitionem principii, & maxime opponi potest *L. 8. C. de iudaeis*: *Iudaei, communi Romano iure viuentes, in his caussis, quae tam ad superstitionem eorum, quam ad forum & leges & iura pertinent, adeant solenni more iudicia, omnesque Romanis legibus conferant, & excipiant actiones.* Ratio, quae a dissentientibus secundó loco profertur, propter iam adductam legem falsa est, & verba PILATI magis ironiam, quam verum argumentum sapiunt, id quod ex iudaeorum responsione patet: *Nobis non licet interficere quenquam* (b). Tertia & quarta ratio admitti posset, si Iudaeis in caussis ciuilibus siue forensibus iurgiis ius proprium fuisset relictum, & ipsi inter nos separatam constituerent ciuitatem. Verba igitur, ex iure canonico adducta, tantum loquuntur & intelligenda sunt de rebus ad religionem iudaicam pertinentibus; quemadmodum iure romano (c) Iudaeis tantum intacta sunt, *quae*, vti aiunt Imperatores SEVERVS & ANTONINVS, *superstitionem eorum non laedunt*; immo ICtus MODESTINVS (d) disertis hoc innuit verbis, aiens: *Iam autem & iudaei non iudaeorum tutores erunt, sicut & reliqua*

(y) Adstipulante CYRIACO *controu. for. 241. n 11.* & FERMOSINO *ad rubr. tit. X. de Iudaeis Saracenis & eorum seruis qu. 3. n 9. sqq.*

(z) Cap. 9. X. de Iudaeis.

(a) *In iure eccl prob. L. V. tit. VI. § LX.*

(b) *Ioh. XVIII. 31.*

(c) L. 3. in fin. D de decur.

(d) In *L. 15. §. 6. D. de excus. tut.*

qua adminiſtrabunt: conſtitutiones enim in iis ſolis ſine moleſtia eos eſſe iubent, per quae cultus inquinari videtur. Quod ad cauſſas matrimoniales attinet, iudaei ſub Romanis viuentes obſeruare debebant leges ciuiles, vti Imperatores THEODOSIVS, ARCADIVS & HONORIVS (e) conſtituunt: *Nemo Iudaeorum morem ſuum in coniunctionibus retineat, nec iuxta legem ſuam nuptias ſortiatur, nec in diuerſa ſub vno tempore coniugia conueniat.* Apud nos idem eſt dicendum, ſi cauſſae matrimoniales in legibus prouincialibus politicis ſunt determinatae, quum omnes ſubditi, cuiuscunque ſint demum religionis, ſecundum illas viuere tenentur; quodſi vero leges eccleſiaſticae tantum de hoc argumento diſponunt, Iudaei, qui omnino extra eccleſiam Chriſtianam viuere dicuntur, lites ſuas matrimoniales ſecundum leges noſtras eccleſiaſticas non componunt, & iura moſaica obſeruare non prohibentur.

Interim iudaei, legum ſuarum tenaciſſimi, non facile ſubmittent iudiciis noſtris cauſſas ſuas ciuiles, ſed plerumque clandeſtine ad ſuos Seniores prouocabunt, qui procul dubio ſecundum leges moſaicas forenſes ſunt iudicaturi.

§. LXXXIV.

Praeter has, quae in antecedentibus adductae ſunt, iurisdictionum ſpecies, adhuc ſupereſt principalis diſtinctio inter perſonalem & realem iurisdictionem, quarum prior perſonae magiſtratus cohaeret, poſterior autem fundo ita innexa eſt, vt ad quemcunque transeat fundi poſſeſſorem, ob quam cauſſam *patrimonialis* dicitur iurisdictio.

In iure romano, licet aliter MOLINAEVS ſentiat, incognita fuit haec ſpecies & ex iure germanico, vti ad vnum fere omnes ICti fatentur, vnice deſcendit.

Interim mirifice diſſentiunt Doctores circa huius iurisdictionis originem. Alii cum CONRINGIO & HERTIO titulum ſingularem praeſupponunt, exiſtimantes ex priuilegiis ab Imperatore impetratis poſſeſſores bonorum immobilium nobiles hac iurisdictione gaudere; alii cum B. HEINECCIO ex poteſtate, veteribus Germanis in ſeruos ſuos competente, originem tribunt; denique alii medium

PRAENOBILISSIMO NEC NON DOCTISSIMO DN. RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

Inter auditores, quos vnquam numeraui diligentissimos, charissime mi WIERING, TE *referre possum iure meritoque. Et cuiquam si huius publici testimonii caussa suspectus viderer, tuus labor, quem in componendis huius opusculi pagellis suscepisti, omne dubium e medio tollere posset. Adgressus es argumentum non sane infimum, & meo labore, quum tantum in communicandis obseruationibus, quae ad res in foro agendas spectant, sis vsus, sane* TIBI *laudi ducitur hoc diligentiae specimen, proprio marte, in chartas coniecisse. Quid multa! coronidem imponis curriculo academico, optime peracto, splendidissimam, & nunquam* TE *assiduae diligentiae & lucubrationum, per quadriennium in nostra* Georgia Augusta *peractarum, poenitebit. In celeberrima hac bonarum artium mercatura non aleam emisti, sed, non esse emacem, quamuis alias vectigal est, praestantissimas merces auide commercatus es, optime sciens, primo quoque die neminem vti magistrum, ita neminem fore diuitem mercatorem.*

Abi itaque, mi charissime WIERING, *morum optime compositorum grauitate, sapientiae & doctrinae praestantia satis imbutus, ad patrios lares fausto, & celeri pede ad eum, quem* TVA *meretur diligentia incomparabilis, honoris gradum, vt Parentem* TVVM *summe reuerendum certissimis rerum argumentis arguere possis, Sua erga* TE *patris optimi officia, diligenter sancteque seruata, quemadmodum seges fertili mandatur agro, optime collocata & dignum* TE *esse, qui ab omnibus bonis ameris. De me tandem sic velim iudices, quantum ego possim, me* TIBI, *saluti tuae, commodisque* TVIS *summo cum studio semper praesto futurum, Dabam Gottingae die*

XX. Martii CIƆIƆCCL.

